DE

METRODORI EPICUREI VITA ET SCRIPTIS.

ACCEDUNT FRAGMENTA COLLECTA DIGESTA ILLUSTRATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

ORDINI AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

UNIVERSITATIS LITTERARIAE FRIDERICIANAE

HALENSIS CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PROPOSITA AB EOQUE PROBATA

QUAM CONSCRIPSIT

HERMANNUS HENRICUS ADALBERTUS DUENING

PHIL. DR.

HALIS

MDCCCLXX

LIPSIAE. TYPIS B. G. TEUBNERI.

VIRO SUMME REVERENDO

IOANNI EDUARDO ERDMANN

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS

HUNC LIBELLUM

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

VITA.

Natus sum Hermannus Henricus Adalbertus Duening Bilefeldiae, capite pagi Ravensbergensis, die VIII ante Id. April. anno hujus saeculi XLIII, patre Henrico, matre Henrietta e gente Gröne. Fidem confiteor evangelicam. Postquam inde a primis litterarum elementis frequentavi Gymnasium Bilefeldense, maturitatis testimonium nactus, Universitatem Litterariam Fridericianam Halensem cum Vitebergensi consociatam, ut studiis me dederem theologicis, adii a. LXI. Operas ob valetudinem incommodam per aestatem a. LXIII intermissas litteris reddidi civium numero academicorum Universitatis Litterariae Fridericae Guilelmae Berolinensis ascriptus. Deinde Monasterii licentiam concionandi adeptus Berolinumque reversus penitus ad studia philologica et philosophica incubui, haud exiguum temporis spatium consumens in perscrutandis Voluminibus Herculanensibus; quo patescit, quonam pacto ad Epicureorum philosophiam accuratius tractandam adductus hanc de Metrodoro commentationem conscripserim.

Ceterum viris praeclarissimis, quorum scholis interfui — Halensibus: Tholuck, Mueller, Hupfeld, Beyschlag, Bernhardy, Erdmann, Schaller, Leo; Berolinensibus: Dorner, Twesten, Trendelenburg, Haupt, Steinthal, Droysen, Boeckh, Kirchhoff, Muellenhoff — me multis modis debitum esse gratus agnosco semperque praeceptores tam egregios imitari studebo.

PROOEMIUM.

Fontes philosophiae Epicuri cum nuper studiosius investigarem, in Prioris Voluminum Herculanensium Collectionis tomo VI fragmentorum columnas XXI reperi, titulo quidem vetustate exeso. Has tamen esse reliquias libri a Metrodoro, Epicuri intimo, περὶ αἰςθήςεων conscripti, cum Angelus Scottus sibi certo conjecisse visus esset, eas non dubitavit inscribere „Metrodori de sensionibus commentatio“. Quo factum est, ut fragmenta hocce indice instructa inter fontes philosophiae Epicuri Fridericus Ueberwegius in libri, qui inscriptus est „Grundriss der Geschichte der Philosophie“ vol. I pag. 175 laudaret. Mihi autem in illa quaestione disceptanda elaboranti quaedam affluxit materies, ut mea quidem fert opinio, sat digna, quae commentatione singulari pertractetur. Talem tamen lecturis offerens, me cunctos, qui aliqua ratione ad Metrodorum spectent, locos respexisse non dixerim, immo interdum consulto omisi inutiles, nullum vero, opinor, gravioris momenti neglexi.

Ceterum in litteris antiquis investigationem rerum quam maxime singularium neutiquam inutilem inanemque evasuram esse censeo, utpote qua sola cum quaecunque agitur disciplina, tum prae ceteris philosophiae historia in universum dilucidior existat.

De fontibus, quibus potissimum usus sum, pauca modo verba faciam. Volumina Herculanensia, quamvis nil fere contineant, nisi Epicuri ejusque asseclarum fragmenta, majori tamen ex parte adeo sunt mutila, ut rerum ad Metrodorum

spectantium non ea, quam ex magno voluminum ambitu quispiam exspectaverit, redundet copia. Huc accedit, quod, qui certam in integrum restitutionem admittunt, locos pro portione corruptorum perpaucos invenimus. Nimirum, quam adhibuerunt restituendi rationem Prioris Voluminum Herculanensium Collectionis (Neapoli continua XI tomorum, si omissum VII exceperis, serie inde ab a. 1793 usque ad a. 1855 emissae) editores Academici Herculanenses, persaepe illi quidem vastas lacunas conjecturis supplentes audacioribus quam rectioribus, eam sane non ubique approbes. Altera autem, quam Julius Minervinius edendam curavit (V tom. fol. Neapol. 1861—1865) et quae ab Anglis (II tom. 8maj. Oxon. 1824/5) sunt divulgata[a]), quamvis exhibeant multa haud spernenda, tamen fere omnia, quae sunt de Metrodoro, restitutione in integrum vehementer indigent. Fide vero descriptionis exemplum Oxoniense Neapolitano multum praestare Spengelius docuit fragmenta tomi I C. A. pertractans in ea commentatione, quam inscripsit „die herculanischen Rollen" (Philolog. 1863. Suppl. II pag. 495—548). Attamen reliquos C. A. tomos eadem negligentia esse descriptos, neminem comparatione instituta fugiet. Ceterum fragmentorum separatim ex his voluminibus a Spengelio, Gomperzio, aliis editorum, quae quidem adipisci potui, perinde rationem habui necessariam atque commentationum huc spectantium.

Jam multis rebus ad Epicuri intimum pertinentibus Plutarchus ornavit libros, quos scripsit: adversus Colotem, non posse suaviter vivi secundum Epicurum, de latenter vivendo. At cave, ne bona fide ductus pro veris omnia habeas, quae philosophus, ceteroquin is quidem quam veracissimus, de Epicureis affert. Etenim, qui illos libros primoribus tantum labris gustaverit, is protinus animadvertet, quam infensam contra Epicurum scriptor ostendat mentem. Ubicunque enim Epicuri vel Metrodori dicta laudat, vel potius ex operis contextu eri-

[a]) In progressu commentationis scribendi compendiis notabo Collectionem Priorem: C. P.; Collectionem Alteram: C. A.; editionem Oxoniensem: Ox.

pit, facere non potest, quin illos ludat, dicta mirum quantum pervertens, quam calumniam jam pridem notavit A. Gellius N. A. II, 8. 9. Praeterea quaecunque de illis vulgo circumferebantur vel legebantur in scriptis ad Epicuri ignominiam conflatis, parum apte assumit. Quonam quidem pacto scriptor prae ceteris fide dignus fontibus tam sordidis uti potuerit, vix intelligas, cum ipse Epicuri et Metrodori opera lectitasset, id quod e locis, quos inde affert, non ita raris dilucide apparet. Praetermissa tamen dictorum factorumque interpretatione, quam ex suopte ingenio adjecit Plutarchus, et rerum et sententiarum utriusque philosophi tanta restat copia, ut eam amissam valde doleres.

Vicissim Diogenem Laertium, cujus totus liber X est de Epicuro ejusque schola, sunt, qui nimio scripsisse affirment studio et amore occaecatum. Nec vero est, cur sic judicent Diogeni diffidentes verentesque, ne res exhibuerit fucatas. Nam etsi ille liber X amplitudine reliquos superat, exacta tamen gravisque Epicuri defensio prorsus non redolet ullam artem, qua patronus aut turpia dissimulasse atque falsa texisse loquacitate, aut etiam in honesta convertisse videatur.

Immo, qui illa ratione Diogenem insimulant, eos nimia Plutarchi fiducia inductos existimo. Dolendum vero, quod totus, quo de Metrodoro agitur, locus principalis multis laborat vitiis plurimisque conjecturis tentatus certum quendam in modum emendari nequit.

E numero autem Romanorum Ciceronem de rebus et placitis Epicureorum in omnibus propemodum libris philosophicis disserentem cave incaute sequaris ducem. Namque, quid illi sibi voluerint, permultis locis nequaquam recte comprehendens, quaecunque leviter tantummodo attigit dogmata, de iis haud raro verba fere inania facit. Multum tamen inter Epicuri mores atque, quam professus sit, philosophiam cum ei interesse visum sit, quamvis carpat sententias, hominem non omnino condemnat (veluti de finib. II, 25, 80. Tuscull. Dispp. III, 20, 46 al.). At Metrodorum, quem magistro describit multo asperiorem, plane habet ludibrio.

Contra Seneca philosophus perperam nonnemini videtur in nimium Epicuri studium delapsus esse, quippe cum manifesta judicii sinceritas (cf. de vit. beat. 13) non sine consilio omittatur. Neutiquam enim philosophus Epicurum temerarius defendit ab objurgationibus Stoicorum recteque eos Epicuri sectatores, qui vitiis dediti luxuriam suam in philosophiae sinu abscondant, ab illis distinguit, qui aestiment voluptatem illam Epicuri, quam sobria et sicca sit (l. c. 12). Cf. Cic. de finib. I, 7, 25. At etiam Cicerone multo severius Seneca Epicuro adversatur, quem satis dignum habet, cui philosophus rite respondeat. Metrodorum quidem saepius non minore afficit laude, quam magistrum, nonnunquam tamen ejusdem sententias acriter refellit et ad vivum resecat, sicut epist. XCIX. Mirum igitur foret, quod aetas posterior, dico christianam [b]), judicium Senecae, quem alioquin permagni aestimavit, negligens ineptire maluit, quam illum sequi, nisi hic quoque quasi in altera librae lance Plutarchus positus fuisset.

Sed haec hactenus.

Pars I.

Metrodorum apud Diogenem X, 23 legimus septem annis ante Epicurum mortem obiisse idque πεντηκοστὸν τρίτον ἔτος ἄγοντα (cf. Plutarch. def. orac. 420 D). Pro illo enim, quod olim legebatur, ἄγοντος scribendum esse ἄγοντα, inde ab Ambrosio Traversario constat. Ex Diogene autem Epicurum duo et septuaginta annos natum Ol. CXXVII, 3 (a. Chr. n. 270) decessisse patet. Ergo Metrodorus Ol. CXXV, 4 (a. Chr. n. 277) diem obiit supremum, natus Ol. CXII, 3 (a. Chr. n. 330). Quem ortum quod attinet, nobis quaestio attingenda est a viris doctis, qui temporibus superioribus de Metrodoro dispu-

---

b) Vid. Gassendi animadvv. in Diog. Laert. libr. X. p. 1317 seqq. (L. B. 1649).

tarunt, agitata. Neque hodie, ut videtur, in unum conveniunt omnium de illa re opiniones, nam nondum desunt, qui mirabili teneantur confusione. Quaeritur scilicet de Metrodori patria, utrum fuerit Lampsacenus, an Atheniensis.

Quod si quis dijudicare velit, facere non potest, quin hosce tres adhibeat veterum scriptorum locos:

1) Diog. Laert. X, 22 secundum lectionem vulgatam:
Μαθητὰς δὲ ἔσχε πολλοὺς μέν, σφόδρα δὲ ἐλλογίμους· Μητρόδωρον Ἀθηναῖον καὶ Τιμοκράτην καὶ Σάνδην Λαμψακηνόν· ὃς ἀφ᾽ οὗ τὸν ἄνδρα ἔγνω, οὐκ ἀπέστη ἀπ᾽ αὐτοῦ κτλ.

2) Strabon. geogr. III, 589 ed. Kramer.:
ἐκ Λαμψάκου δὲ Χάρων ὁ συγγραφεὺς καὶ Ἀδείμαντος καὶ Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ καὶ Μητρόδωρος ὁ τοῦ Ἐπικούρου ἑταῖρος καὶ αὐτὸς δ᾽ Ἐπίκουρος τρόπον τινὰ Λαμψακηνὸς ὑπῆρξε διατρίψας ἐν Λαμψάκῳ κτλ.

3) Cic. Tuscull. Dispp. V, 37, 109:
Socrates quidem, cum rogaretur, cujatem se esse diceret, „Mundanum“, inquit. Totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Quid T. Albucius? nonne animo aequissimo Athenis exsul philosophabatur? cui tamen illud ipsum non accidisset, si in republica quiescens Epicuri legibus paruisset. Qui enim beatior, Epicurus, quod in patria vivebat, quam quod Athenis Metrodorus?

De quaestione proposita accuratius agatur, jam ob primum, quem attuli, locum necesse est, quippe quo, licet judicio fere omnium modo quopiam corruptus sit, nonnulli, iique minime homines obscuri, norma falsa usi sint, qua locos Strabonis et Ciceronis incorruptos corrigerent, eorum scriptores absurda protulisse contendentes. Nimirum Diogenis verba, quibus Metrodorus videtur Atheniensis vocari, non emendanda rati adversus auctoritatem Strabonis et Ciceronis, quorum alter illum expresse ait ab Lampsaco oriundum, alter eum non fuisse Atheniensem indicat, solum Jonsium (de scriptor. hist. philos. I, 20, 3) sequuntur de hac re copiosius disserentem.

Namque Metrodorum, quamvis Ciceronis et Strabonis aetate eum Atheniensem fuisse neminem fugerit, Lampsacenum propterea et dictum et habitum esse asseverant, quod diu Lampsaci fuerit versatus, sicut Epicurum τρόπον τινὰ Λαμψακηνόν dixerit Strabo l. l. Quo factum esse, ut ab eodem Strabone inter alios revera Lampsacenos etiam Metrodorus Lampsacenus perhiberetur [c]). Item praeter Jonsium etiam Fabricius, Ernestius, Kuehnerus aliique viri docti recentiores sentiunt, quos enumerare longum est, sed omnes profecto minus prudenter. Primum enim apud Strabonem illud τρόπον τινὰ solum ad Epicurum refertur. Tum si Metrodorus revera fuit Atheniensis, plane non liquet, quid sibi voluerit comparatio ista Ciceronis, quippe quem tam inepte et inconsiderate scripsisse nullo pacto cum Tischero consentiamus, ad hunc locum annotante, comparationem ad propositum comprobandum non esse aptam, quandoquidem Metrodorus fuerit Atheniensis. En notam acutam beneque excogitatam! Ciceronem vero Metrodorum sic cum Epicuro collatum ejusdem discipulum intelligi voluisse ex ipsius usu apparet. Nam solo Metrodori nomine ubique, excepta epistula ad Tironem (epistt. ad Divers. XVI, 20), ubi medicum quendam, ut videtur, de amicis leviter tangit, illum, de quo nos agimus, denotat, alioquin addens, cujatem dicat. Neque tamen defuerunt, qui Metrodorum vel Stratonicensem, vel etiam, ut Ernestius, Scepsium Mithridatis V Eupatorisque temporibus florentem intelligerent. Cf. Moser. ad Cic. Tuscull. Dispp. l. l.

Sed jam pergamus ad ipsum Diogenis locum.

Illustriores Epicuri discipulos sese recensiturum scriptor ipse praedicit: μαθητὰς — σφόδρα δὲ ἐλλογίμους. Metrodori mentione facta Polyaenum producit et Hermarchum. Qui praeter hos σφόδρα ἐλλογίμους inducuntur ἐλλόγιμοι (§ 25 med.: καὶ οὗτοι μὲν ἐλλόγιμοι), ii locis innumeris apud Diogenem et Plutarchum pariter atque in Voluminibus Herculanensibus in-

---

c) De argumento a Timocrate, Metrodori fratre, repetito infra dicemus.

veniuntur. Metrodorum vero omnium fuisse clarissimum, cum non sit, quod amplius comprobemus, Gassendo astipulantes (cf. de vita, moribus et doctrina Epicuri I, 8) non alium hoc loco memoratum putamus, nisi illum, qui solus ceteris cφόδρα ἐλλογίμοιc antecessit; nam, qui juxta eum leguntur Timocrates et Sandes, ii etiam verborum conformationem prorsus interrumpunt, qua, quae inde ab ὃc ἀφ' οὗ sequuntur, omnino sunt de Metrodoro.

Nempe Vossium (de histor. graec. ed. Westerm. p. 108) omnia confuse perturbantem mitto nec probo, quod ante ὃc ἀφ' οὗ Meibomius ὧν ὁ μὲν Μητρόδωροc vel simile quid excidisse putat, qua conjectura Huebnerus commotus est, ut asterisco lacunam notaret. Recte potius Gassendus Casaubonum, pro Ἀθηναῖον censentem Ἀθήναιον legendum esse, refutans neque Athenaei philosophi Epicurei neque Sandis Lampsaceni usquam alibi mentionem fieri docuit. Timocratem vero Metrodori fratrem a Diogene hoc loco in numero Epicureorum maxime illustrium haberi, praeeunte Gassendo negamus. Nam si ille praeter Metrodorum etiam alios voluisset Epicureos claros recensere, priusquam Hermarchum et Polyaenum induceret, sine dubio nonnulla de eorum vita et operibus exposuisset. — Neque mihi quod Cobetus in exemplo suo (Paris. apud Firm. Didot a. 1850 sine lectionum varietate edito) restituendum praecepit: Μαθητὰc —— cφόδρα δ' ἐλλογίμουc * Ἀθηναῖον καὶ Τιμοκράτην καὶ Μητρόδωρον Λαμψακ., ὃc ἀφ' οὗ κτλ. ullo modo arridet videturque vir doctissimus suam ipsius, qua ὃc cum Μητρόδωρον copularetur, nobis exhibuisse rationem. Diogenem autem Metrodoro alios Epicureos praemisisse minime claros, parum est verisimile, nec magis patet, quonam pacto pro Μητρόδωρον librarii scripserint Cάνδην. Adde, quod nomen Epicurei cujuspiam desideratur ante Ἀθηναῖον. Quaeritur igitur, quomodo illud, quod Diogenes exaraverit, ex iis, quae vulgo leguntur, erui possit. Locus sane funditus sanatur ratione Gassendi, omnia inter Μητρόδωρον — Λαμψακηνόν interposita expungenda arbitrantis, id quod Menagius et Stanlejus (hist. philos. XIII, 8) approba-

verunt. At unde, quaeso, ista verba huc illata sint? Perperam ceterum Gassendus ἐλλογίμους mutat in ἐλλόγιμον, ut patet ex Diog. Laert. VII, 36: μαθηταὶ δὲ Ζήνωνος πολλοὶ μέν, ἔνδοξοι δὲ Περσαῖος κτλ. Itaque equidem non solum ab Huebnero, voces Ἀθηναῖον et Σάνδην corruptas esse suspicante, non dissentio, verum etiam in voce Τιμοκράτην librarios erravisse existimo.

Meo praeterea judicio Diogenes hoc loco nomen patris Metrodori non minus tradidit, quam Polyaeni et Hermarchi. Quid? ubi de hominis Epicuro amicissimi rebus egit, num ibi neglexerit patrem? Quo accedit, quod ejus nomen nusquam alibi apud Diogenem invenitur. Proinde pro Ἀθηναῖον utique Ἀθηναίου restituendum est.

Timocratis nomen quo pacto servari posset, mecum diu meditatus, tandem cognovi, Gassendum recte perspexisse, id hoc loco ferri non posse. Neque enim liquet, qua ratione Timocrates hic memoratus sit, praesertim cum in fine § 23 nobis iterum occurrat, ubi tanquam in transcursu haud secus attingitur ac si a scriptore antea neglectus inducatur. Tum ibi demum frater Metrodori memoratur, quod potius jam loco nostro factum exspectabas, si quidem Timocratis nomen servandum putatur. Ergo quod legitur § 23 προειρημένον, id ad X, 6 referas. — Sed quid, quaeso, dixerit Diogenes? Num veri est simile, nomen Τιμοκράτην e voce, quae antea ejus locum obtinebat, longe alia evasisse? Legebatur sane vox alia, talis tamen, ex qua lectio vulgata facile potuit emanare.

Quaenam ea fuerit, tibi statim patebit, dummodo litteras codicis manu scripti majusculas ante oculos proposueris. Subit enim animum cogitatio, non tantum nomen patris, sed insuper matris Metrodori Diogenem tradidisse, sicut una cum patris Epicuri nomine Neoclis etiam matris Chaerestratae legimus X, 1. Si quis vero miretur, tam singularia de Metrodoro relata esse, is, quaeso, etiam libri X amplum prae reliquis ambitum respiciat. Repono igitur lectionem ΤΙΜΟΚΡΑΤΕΙΑϹ, quae, quam facile fieri potuerit ΤΙΜΟΚΡΑΤΗΝ, eruditissimus quisque illico intelligat. Pro Η saepenumero ΕΙ restituendum

esse, cum aliunde constet, tum in ipso Timocratis nomine ponatur necesse est hoc loco subsequente: Μαρτυρεῖ δὲ (Ἐπίκουρος) καὶ ἐν τῷ τρίτῳ ΤιμοκράτΕΙ, pro illo olim scripto ΤιμοκράτΗΣ. Ceterum nomen Τιμοκράτεια in usu fuisse, ex Corp. Inscrr. num. 1062. 1451 (cf. 95. 1454) discimus.

Restat, ut obscurissimum Sandem tollamus, quem ferri non posse jam animadvertimus.

Equidem hoc nomen arbitror ex vocabulis natum esse, quibus Diogenes Metrodorum fuisse Lampsacenum expresse dixerat, quippe cui excepto Hermarcho Mitylenaeo quatuor (quinque) serie continua addidisset Lampsacenos. Namque pergit ἦν καὶ (ut cum Cobeto reponam pro ἦν δὲ) Πολύαινος — Λαμψακηνός, tum Λεοντεύς τε Λαμψακηνὸς ὁμοίως καὶ Θέμιστα, deinde ἔτι τε Κολώτης καὶ Ἰδομενεὺς, καὶ αὐτοὶ Λαμψακηνοί. Itaque pro ΣΑΝΔΗΝ malim ΤΟΝ ΔΗ vel simile quid substitui, quod significet: Metrodorum atque eum quidem Lampsacenum. Sed haec hactenus.

Metrodorum fratre usum esse se ipso Timocrateque natu majore, e loco Philodemi (de ira ed. Gomperz. pag. 49, C. A. I, tab. 35. Ox. I, 45) apparet, ubi exstant haecce: ὡς καὶ Τιμοκράτην φησὶν ὁ Μητρόδωρος τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν ἀδελφῶν Α.ΤΟΡΙΔΗΙ, quod ΑΚΤορίδῃ esse cum Spengelio (Philolog. l. c. pag. 502) et Buechelero (Zeitschrift für d. österr. Gymnas. p. 581 seq., argumentum col. XII) consentimus, licet hoc nomen nusquam alibi occurrat. Sororem, cui nomen erat Batidi (Diog. Laert. X, 23), Idomeneo Epicureo in matrimonium dedit, nobili illi quidem civi Lampsaceno (ibid. § 25, quod Metrodori patriae bene convenit), atque historiarum scriptori (vid. fragmm. apud Müllerum fragmm. hist. graec. II), de cujus vita et scriptis conferas Sintenisii excursum V ad Plutarch. Pericl.

Primum Lampsaci Metrodorum vidit Epicurus, ubi triginta annos natus scholam instituerat (Diog. Laert. X, 15 init.), quam aetate fere viginti annorum frequentantem adeo sibi adjunxit, ut teste Diogene (X, 22) discipulus inde a tempore, quo cognoverat magistrum, ab ejus latere non discederet nisi

sex menses, cum domum repeteret. Quam οἰκίαν Lampsaci fuisse Metrodorumque eo Athenis profectum esse, verisimillimum videtur. Circa a. 305 archonte Anaxicrate (Diog. Laert. X, 2) Athenas magistrum secutus est, ubi res et tunc erant valde turbidae et per totam, quam Athenis egerunt, vitam, Demetrio Poliorcete et Phalereo Cassandroque de oppido certantibus, non sedabantur. Quod minus curantes et, quam maxime fieri poterat, a rebus publicis secundum Epicuri doctrinam [d]) alieni, amicitia inter se conjunctissimi in hortis Epicureis philosophabantur, una cum Hermarcho, Leonteo, Polyaeno et aliis. Omnes vero scholae principes cum mutuo responderent gratis officiis, hanc rem saepius laudant scriptores. Hinc igitur Seneca (epist. VI) contubernium ait magnos fecisse viros Metrodorum, Hermarchum et Polyaenum, non scholam Epicuri. Adde Philodem. de morte C. P. IX col. 9: Leonteus et Metrodorus θεραπευόμενοι ὑπ' ἀλλήλων. Epicurum vero Plutarchus deridet εἰρωνικῶς commiserans, quod vitam διετέλεσε θεραπεύων νοσοῦντας ἢ καταθρηνῶν ἀποθνήσκοντας (non posse suav. viv. 1103 A), quod gaudium a Metrodoro, Polyaeno et Aristobulo repetitum sit. Contra Philodemus (l. c. col. 5) Epicureos κατὰ λόγον vixisse referens col. 11 viros tantum in proeliis occisos laudibus extolli miratur, non Themistoclem, Periclem et φυσικωτέρως ἐζηκότας Epicurum et Metrodorum.

Potuit utique Epicurus modo vivere suaviori, quippe quem non pauperem fuisse, tam ex emptionibus horti domusque (Diog. Laert. X, 17), quam e Philodem. l. c. col. 1 patescere videatur. Ducit quidem philosophus Gadarensis magnas fortunas sapienti perquam optatas, quibus deficientibus esse amicorum, bona cum inope communicare. Quam sententiam illustrat hisce verbis: ἀλλ' οὐδὲν ἀφαίρεσιν ἐπεῖναι ταύτην ἐπήσθετο Πολυαίνῳ καὶ Μητροδώρῳ Ἐπίκουρος, unde Epicuri amicos inopes fuisse recte collegit, qui Philodemi librum restituit, Ant. Octavianus. Sobrietate autem et parsimonia usus est

---

[d]) Vid. not. ad Metrod. fragmm. num. XVIII seq.

Metrodorus maxima, magistrum sequens, qui, discipulum sibi postponens, gloriatur (Sen. epist. XVIII), non toto asse se pasci; Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto. Cf. Diog. Laert. X, 131 seq. Stob. floril. XVII, 34. Sen. de vit. beat. 12. al. Praeterea Philodemus de vitt. virtt. oppos. C. P. III. col. 27 Metrodorum περὶ οἰκονομίας scripsisse testatus addit: καὶ ποιῶν αὐτός.

Unde dijudicanda, quae Timocrates scholae Epicureae objecit (Diog. Laert. X, 6. 7), quaeque de gula Epicureorum circumferebantur partim odio conficta, partim dictis quibusdam Epicuri et Metrodori [e]) secus intellectis excitata. De moribus vero discipuli in universum testimonium ipsius magistri habemus ex primo quinque librorum, quos de Metrodoro scripsit, a Diog. Laert. X, 23 laudatum: ἦν δὲ ἀκατάπληκτος πρός τε τὰς ὀχλήσεις καὶ τὸν θάνατον, cui idem § 23 in. ex aliis Epicuri libris addit: γέγονε δὲ ἀγαθὸς κατὰ πάντα. Quibus verbis magister verum suum amicum sapientem fuisse indicavit, quem etiam sapientem appellavit teste Cicerone de finib. II, 3, 7. Sane habuisset Cicero, quod rideret, si Metrodorus se ipse sapientem declarasset, minime tamen habuit, quia ille „repudiare tantum beneficium“ noluerit.

Testatur porro Lucianus Alex. 17, una cum Democrito et Epicuro etiam Metrodorum ab omni genere superstitionis opinionumque inanis religionis commenticiarum liberum fuisse, eos ἀδαμαντίνην πρὸς ταῦτα τὴν γνώμην professo esse existimans. Neque parvi faciundum illud, quod Plutarchus, et is quidem invitus, tradit, exemplum, Metrodori animum adversus pericula fortem ostentans. Reperimus enim (non posse suav. viv. 1097 B ed. Duebner.) haecce: οἵας φωνὰς ἀφῆκεν Ἐπίκουρος, οἷα δὲ γράμματα τοῖς φίλοις ἔπεμψεν ὑμνῶν τε καὶ μεγαλύνων Μητρόδωρον, ὡς „εὖ τε καὶ νεανικῶς“ (senescebat igitur Metrodorus) ἐξ ἄστεως ἅλαδε κατέβη Μίθρῳ τῷ Σύρῳ βοηθήσων. Huc iterum Plutarchi deflexit oratio adv. Colot. 1126 E. F: καίτοι ὅτι Μητρόδωρος εἰς Πειραιᾶ κατέβη σταδίους

[e]) Vid. Metrod. fragmm. num. VI seqq.

τεccαράκοντα Μίθρῃ τινὶ Cύρῳ τῶν βαcιλικῶν cυνειλημμένῳ βοηθήcων, πρὸc πάνταc ἐγράφετο καὶ πάcαιc ἐπιcτολαῖc, μεγαληγοροῦντοc Ἐπικούρου καὶ cεμνύνοντοc ἐκείνην τὴν ὁδόν. Animum amici intrepidum quis miretur Epicurum laudasse? Eo confidentior Plutarchi comparet irrisio, quam quasi ore livido adjecit: πράξαντοc οὐθὲν τότε τοῦ Μητροδώρου, tanquam ipse adfuisset. Iste Mithras, quem altero loco vocat τὸν Cύρον, altero τινὰ Cύρον τῶν βαcιλικῶν cυνειλημμένον, sine dubio idem est atque διοικητὴc τοῦ Λυcιμάχου (Diog. Laert. II, 102. X, 4), quem ad Epicuri placita propensum fuisse, cum illo, quod de contemptu deorum Theodorus Atheus dedit, responso (Diog. Laert. II, 102) indicatur, tum confirmari videtur locis Diog. Laert. X, 28, ubi inter Epicuri scripta recensetur liber (περὶ νόcων δόξαι) πρὸc Μίθραν et X, 4, unde Epicurum litteras ad Mithram dedisse discimus. Plura sciremus, si Philodemi fragmentum C. A. I pag. 107 seqq. integrius esset servatum. Nam eum pag. 129 de hoc Mithra egisse, puto verisimillimum. Conspicimus quidem vers. 10: ΤΑΠΕΡΙΜΙΘΡΕΟΥC, vers. 17: ΜΙΘΡΗΝ (cf. vers. 16: ΕΠΙΚΟΥΡΟC), pag. 125: ΜΙΘΡ...ΔΕΑΝΗ [f]).

In hortis autem Epicureis praeter philosophos etiam philosophas versatas esse constat, quem usum Pythagorae Platonisque exempla illustrant. Inter Epicureas nobiliores Diogenes et Plutarchus tradunt fuisse Themistam, Leontei uxorem (Diog. Laert. X, 25. al.), Λεόντιον (Deminut.: Λεοντάριον ibid. § 5), Μαρμάριον (ut vulgo legitur ibid. § 7, Μαμμάριον exhibet

---

f) Haec postquam industrie investigavi, Spengelium (Philolog. l. c. pag. 531) eadem ante occupasse animadverti. Absit invidia! Ceterum notandae sunt variae nominis formae:

Genitiv. Diog. Laert. II, 102: Μύθρου, Philodem. l. c.: Μιθρέους.
Dativ. Plutarch. non posse suav. viv. l. c.: Μίθρῳ, adv. Colot. l. c.: Μίθρῃ.
Accusativ. Diog. Laert. X, 4: Μίθρην, X, 28: Μίθραν, Philodem. l. c.: Μιθρῆν.

Philodemum nominativum Μιθρῆς statuisse e genitivi forma Μιθρέους patet. Quapropter accusativus apud eundem scribendus est Μιθρῆν, forma alias non inusitata. Cf. Keil. analect. epigraph. pag. 123, num. 2: Cοφοκλῆν, Φιλοκλῆν.

Philodem. C. A. pag. 149 [g])), Ἡδεῖαν, Ἐρώτιον, Νικίδιον (sic recte legitur Diog. Laert. X, 7. Apud Plutarch. non posse suav. viv. 1089 C; 1097 D vulgo scribitur Νικήδιον, sed confirmatur e Philodem. l. c.), Βοΐδιον (Plutarch. l. c.), Φιλαίνιδα addit Cleomed. cycl. theor. II, 1 fin. Quibus mulierculis factum est, ut horti Epicurei ab adversariis magnum lupanar perhiberentur, in quo meretrices vulgatissimae cum cunctis Epicuri discipulis rem haberent. Cf. Athen. Deipnos. XIII, 588 B al.; de eadem re satis disputavit Gassendus (Opp. tom. VI pag. 112 seq., al.), ut alios omittam [h]).

Metrodorum prae ceteris libidinosum fuisse indicat Plutarchus non posse suav. viv. 1098 B: Τὴν μὲν γὰρ Μητροδώρου μητέρα καὶ τὴν ἀδελφὴν, ὡς ὑπερέχαιρον ἐπὶ τοῖς γάμοις αὐτοῦ, — ἐκ τῶν βιβλίων δήπου δῆλόν ἐστιν. Ceterum suam cuique discipulo mulierculam addictam fuisse, e Philodemi fragmento supra citato elucet refellentis, ut videtur, quendam calumniatorem: (θ)ρυλῶν, ὅτι Λεόντιο(ν κ)αὶ ἑτέρα τις ΕΣ..ΤΗ [ἐπὶ τῇ?] πραγματεία[ι?] μνημονεύεται καὶ Νικίδιον ἡ Ἰδομενέως ἐρωμένη, Λεοντέως δὲ Μαμμά(ρ)[ι?]ον, Ἑρμάρχου δὲ Δημη..Α [Δημητρία?] ... Πυθο(κλ)έους .... Πολυ[αίνου?] ... reliqua desunt. Cf. Spengel. Philol. l. c. pag. 534.

Nec vero infitiandum, hasce feminas, Themista, uxore Leontei, excepta (quam quidem immerito Rossius comm. Laertt. pag. 252 perinde meretricem facit), fuisse amicas, quas Graeci ἑταίρας dicebant. Eas non ita raro omni litterarum genere fuisse eruditas ingenioque mire versatili multum valuisse, eoque nonnunquam factum esse, ut a viris quam gravissimis pro justis haberentur uxoribus, haud ignotum est. Cf. Athen. Deipnos. XIII, 583.

Neque aliter Metrodorum cum Leontio egisse Diog. Laert. X, 23 verbis hisce indicat: καὶ Λεόντιον Ἀττικὴν ἑταῖραν ἀναλαβὼν, εἶχε παλλακήν. Quocirca non est, cur eam Metrodori

---

g) Spengel. Philolog. l. c. pag. 534: „Μάμμαρον ist aus einer attischen Inschrift gesichert“.

h) Recte fere judicavit Steinhart. in Ersch. et Gruber. Encycl. v. Epicur.

uxorem legitimam fuisse ponamus, quam opinionem unde deprompserit B. Hieronymus adv. Jovin. 317 ed. Vallars. (cf. Joan. Sarisber. de nug. curial. VIII, 11), nescio equidem, mire tamen placuit Gassendo l. c.

Hanc [1]) feminam philosophiae admodum studiosam fuisse Cicero scribit de nat. deor. I, 33, 93: „non modo Epicurus et Metrodorus et Hermarchus contra Pythagoram Platonem Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est: scito illa quidem sermone et Attico, sed tamen —" ubi interrumpitur oratio, cujus finem sibi quisque suppleat. Ille „sermo scitus et Atticus" mulierem indicat politiorem. Quod attinet philosophiam, suis se teneat orator. Cum loco Tulliano cf. Plinii hist. nat. praef.: „adversus Theophrastum, hominem in eloquentia tantum — scripsisse etiam feminam et proverbium inde natum suspendio arborem eligendi". Idem Theo(do)rum pictorem Leontium cogitantem pinxisse narrat hist. nat. XXXV, 144. Cf. XXXV, 99.

Inter epistulas ab Alciphrone rhetore relictas exstat quaedam a Leontio ad Lamiam intimam data (II, epist. 2), in qua queritur tractationem Epicuri ferme octogenarii, morosi, pediculosi, morbidi velleribusque et panno contecti, cui se Timarchum (cf. Metrod. scriptt. num. 18) juvenem pulchrum, longe praeferre libertate quadam venusta fatetur. Ecquis, quaeso, qui hanc epistulam legerit, eam neget facete et mirabili elegantia ac lepore conscriptam esse? Quin Passovio (Vermischte Schriften herausg. von W. A. Passow. Leipz. 1845. pag. 91 seq.) libenter concedimus, personas in hoc ipso epistularum libro secundo quasi vigore et corporis et animi praestantes descriptas esse. At si quaeritur, num ipsum Epicurum ipsamque Leontium depinxerit Alciphron, equidem epistulae fidem historicam nullo pacto tribuam. Etenim et res et personae locis hominibusque, qui revera exstiterunt, subjectis fictae sunt. (Cf. Baylii Diction. v. Epicur.). Atque quibus rhetor

---

[1]) In iis, quae jam sequentur, arctam Metrodori cum Leontio consociationem respicienti non longus videbor.

fontibus usus sit ad epistulam conscribendam, ex Epicuri descriptione petulantissime instituta facile colligimus. Nimirum poetas comicos Epicuri hortos carpere haud neglexisse, tam per se est probabile quam comprobatur fragmentis. Cf. Hegesipp. Philetair. apud Athen. Deipnos. VII, 279 D (Meinek. fragmm. comic. IV, 481), Damoxen. Syntroph. ibid. III, 101 seq. (Meinek. IV, 530 seqq.), Baton. Androphon. ibid. VII, 279 C (Meinek. IV, 500). Quod contra invenimus apud Philodem. de pietate (ed. Gomperz. pag. 93. Cf. Zeitschrift für d. österr. Gymnas. XV pag. 731 seq.): ἁπάντων δὲ κωμῳδηθέντων μόνος Ἐπίκουρος ἅμα τοῖς γνησίως συμβιώσασιν αὐτῷ — διεφύλαξεν αὐτόν, ἀλλ' οὐδ' ὑπὸ τὸ μισόχρηστον στόμα — ἔπεσε τῆς κωμῳδίας, id philosophum Gadarensem non ad totam vitam Epicuri eorumque, qui una cum eodem γνησίως vixerint, sed, ut ex antecedentibus initio mutilis videtur elucere, ad casum quendam singularem retulisse existimo [k]).

Ad gloriam vero Leontii, mulieris sine dubio facetae et ingeniosae, amplificandam nonnulli viri docti eam opinati sunt eandem fuisse atque illam, cui Hermesianax poeta Colophonius tris dedicavit elegorum libros (Athen. Deipnos. XIII, 593/597).

Quae opinio, si quis solum respicit tempus, stare potest, licet, quo tempore diem supremum obierit poeta, ipsos scriptores veteres fugisse constet. Nimirum Pausanias Graec. descr. I, 9 Hermesianactem a Colophone oriundum ea tempestate, qua Lysimachus patriam poetae destruxerit (302 a. Chr. n.), jam mortuum fuisse inde conjecit, quod, si tunc adhuc vixisset, istam ruinam elegis conquestus esset.

Praeceptor Hermesianactis Philetas Cous, Ptolemaeum Philadelphum circiter a. 306 natum educavit, unde, si vera est Pausaniae opinio, illum multis annis Hermesianacti fuisse superstitem, hunc vero natu non ita grandem vita excessisse

---

[k]) Cf. l. c. vers. 8 seqq.: ἐνίων μὲν ἐνκληθέντων ἐπὶ τῷ βίῳ καὶ τοῖς λόγοις φιλοσόφων, ἐνίων δὲ κἀκ τῆς πόλεως, τινῶν δὲ κα(ι)κ[?]τῆς συμμαχίας ἐξορισθέντων καὶ θανατωθέντων, ἁπάντων δὲ κτλ.

consequitur. Cf. Baylii Diction. v. Leont. Quod gaudent Weberus (Elegische Dichter der Hellenen. Frkft. 1826. pag. 667 seqq.) et C. D. Ilgenius (Opuscull. philoll. I pag. 256) Menagium sequentes, dolet tamen simul Weberus, quod aliis de causis species veritatis desit. Scilicet ubique Leontium Epicurea vocatur Λεόντιον Ἐπικούρου, ἡ Ἐπικούρειος, a qua Myrtilus deipnosophista (apud Athen. l. c.) τὴν Ἑρμησιάνακτος Λεόντιον expresse distinguit. (Cf. N. Bachii Philetae Coi, Hermesianactis Colophonii atque Phanoclis Reliqq. Hal. Sax. 1829 pag. 93 seqq.).

Praeterea in Alciphronis epistula supra memorata Leontium Epicuri puella exhibetur nondum longe adulta, viginti fere annos nata, eademque ad levitates amatorias mirum quantum propensa, contra Epicurus senex ἤδη ἐγγὺς ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη. Quae aetas quamvis jocose nimium producta sit, tales tamen irrisiones, praesertim si Alciphron ex poetis comicis jocos repetiit Epicuro aequalibus, merae fuissent ineptiae philosopho aetatem integerrimam agente. Nec Leontium facete ita loqui poterat, nisi Epicuro saltem quinquaginta vel sexaginta annos nato. Eo etiam minus salis inesset in Leontii horrore, quo ipsam natu majorem censeremus, in triginta fere annos vergentem. Hermesianacte autem a. 302 ex Pausaniae conjectura morte jam absumpto Epicurus annos quadraginta adeptus erat. Unde ista fictio satis aperitur.

Habuit e Leontio natos Metrodorus liberos duos, puerum puellamque, quos moribundus Epicuro reliquit infantes, quod ex Epicuri testamento a Diogene servato (X, 16 seqq.) discimus, in quo quidem septem annis post Metrodori obitum facto sermo est de filio educando et de filia nondum annos nubiles assecuta. De quibus Metrodori liberis quid constituerit Epicurus, quamvis ex testamento satis liqueat, tamen non solum amicis ibidem memoratis, Timocrati, Amynomacho et Hermarcho eosdem commendasse videtur curandos, sed etiam Idomeneo, sororis Metrodori marito, moribundus scripsit, ut illorum res administraret. (Diog. Laert. X, 22). Cujus epistulae partem Spengelius (Philolog. l. c. pag. 531) fragmentum

Philodemi C. A. I pag. 128 sibi exhibere videtur, idque non sine specie quadam veritatis. In illo enim epistulae fragmento de distributione sumptus ad Metrodori liberos (τὰ παιδία τὰ Μητροδώρου) collati agitur. Tametsi Epicurus hanc epistulam videtur scripsisse, tamen deficiente ejus nomine, ad quem scripta erat (solum reperiuntur duorum Epicureorum, ut videtur, praeter Idomeneum curatorum, Aegei et Diodori alias incognita), rem in dubio relinquimus.

Filio nomen erat Epicuro, filiae quod fuerit, certe ex Diogene Laertio non cognoscimus. Sed Athenaeus (deipnos. XIII, 593 B; cf. Schweighaeus. not.) e Phylarcho affert narratiunculam de Danaë, Λεοντίου τῆς μετ' Ἐπικούρου — σχολασάσης filia et Sophronis, principis cujusdam Ephesii, uxore, quam fuisse illam Metrodori filiam quominus censeamus, nihil intercedit. Nempe unde Seilerus ad Alciphron. II, 2, 1 cognitum habeat, Danaën Epicuri e Leontio filiam fuisse, equidem ignoro. Sine dubio Epicurus in testamento suam ipsius filiam non neglexisset. Attamen permirum videtur, quod de Leontio in testamento nil scriptum invenimus, nisi praeeunte Baylio (Diction. v. Epicur.) eam jam antea exstinctam putemus.

Quo morbo Metrodorus consumptus sit, nusquam relatum legimus. Eum hydrope affectum fuisse scribit Celsus de re med. III, 21 his verbis: „Metrodorum tamen, Epicuri discipulum, referunt, cum hoc morbo tentaretur" (agitur de hydropicis) „neque aequo animo ferret necessariam sitim, ubi diu abstinuerat, solitum bibere, deinde evomere". Idem melius esse ratus, quidquid receptum sit, evomere quam retinere, Metrodorum indicat hoc morbo non esse mortuum. Quod de obitu Metrodori et Polyaeni Suidas (v. Epicur.) refert, id sumpsit ex Aeliani de providentia libro (v. Bernhardyi not.). Verba ejus sunt haecce: καὶ Μητρόδωρος δὲ καὶ Πολύαινος ἄμφω τὼ ἑταίρω αὐτοῦ κάκιστα ἀνθρώπων ἀπέθανον. Quae quanam mente sint conscripta, ex iis, quae subsequuntur, emanat: καὶ μέντοι τῆς ἀθείας ἠνέγκαντο μισθὸν οὐδαμᾶ οὐδαμῆ μεμπτόν. Ceterum Epicurus testamento cavit, ut et sui et Metrodori memoriam discipuli vigesima quaque mensis die

celebrarent (Diog. Laert. X, 18. Cic. de finib. II, 31, 101. Athen. deipnos. VII, 298 D).

Quod ad Metrodori philosophiam spectat, quemadmodum signa magistri secutus sit ejusque praeceptis obsecundaverit, dilucidius apparebit, si, qualis discipulorum in universum cogitandi modus fuerit, satis eruerimus. Ne simus longi, duo praecipue scriptores quid hac de re senserint, jamjam exploremus. Ac primum nobis afferendum est notissimum illud Numenii, philosophi Neoplatonici, ex Euseb. praep. evang. XIV, 5 [1]), quod mente ab injuriis aliena scriptum videtur. Judicium pari severitate factum nusquam alibi invenimus. Quocum quidem plurimi vv. dd. comparant illud Senecae epist. XXXIII: „apud istos quicquid Hermarchus dixit, quicquid Metrodorus, ad unum refertur. Omnia, quae quisque in illo contubernio locutus est, unius ductu et auspiciis dicta sunt“ (cf. Octavian. ad Philodem. rhetor. praef. C. P. V, 1 § 11), sed hoc illo Numenii longe lenius esse dictum neminem sobrium fugiat. Immo Seneca Epicureos quodammodo laudavit, qui quasi sub rege essent, ut etiam nobilissimi nil cogitarent, nisi quod certis philosophiae Epicureae signis notatum conspicerent. Hoc non dubie vult Seneca, certam in philosophia Epicureorum inesse mentem, qua ab sectis aliis facile discernantur. Numenii vero judicium etiamsi ad magnam Epicureorum turbam recte referatur, imprimis tamen ex ipsa philosophi aetate repetitum atque in scholam universam immerito translatum videtur. Atque usque ad Augusti aetatem fuisse,

---

[1]) Ed. Gaisf.: Τοῦτο δὲ οἱ Ἐπικούρειοι, οὐκ ὤφελον μὲν, μαθόντες δ' οὖν, ἐν οὐδενὶ μὲν ὤφθησαν Ἐπικούρῳ ἐναντία θέμενοι οὐδαμῶς, ὁμολογήσαντες δὲ εἶναι σοφῷ συνδεδογμένοι καὶ αὐτοὶ διὰ τοῦτο ἀπέλαυσαν τῆς προσρήσεως εἰκότως· ὑπῆρξέ τε ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον τοῖς μετέπειτα Ἐπικουρείοις, μὴ δ' αὐτοῖς εἰπεῖν πω ἐναντίον οὔτε ἀλλήλοις οὔτε Ἐπικούρῳ μηδὲν εἰς μηδὲν, ὅτου καὶ μνησθῆναι ἄξιον· ἀλλ' ἔστιν αὐτοῖς παρανόμημα, μᾶλλον δὲ ἀσέβημα, καὶ κατέγνωσται τὸ καινοτομηθέν. Καὶ διὰ τοῦτο οὐδεὶς οὐδὲ τολμᾷ, κατὰ πολλὴν δὲ εἰρήνην αὐτοῖς ἠρεμεῖ τὰ δόγματα ὑπὸ τῆς ἐν ἀλλήλοις αἰεί ποτε συμφωνίας. Ἔοικέ τε ἡ Ἐπικούρου διατριβὴ πολιτείᾳ τινὶ ἀληθεῖ, ἀστασιαστοτάτῃ, κοινὸν ἕνα νοῦν, μίαν γνώμην ἐχούσῃ· ἀφ' ἧς ἦσαν καί εἰσιν καὶ, ὡς ἔοικεν, ἔσονται φιλακόλουθοι.

qui Epicuri doctrinam sequerentur non quasi vincti et caeci, sed in ea potius animo sui ipsius conscio versarentur et magno ingenii acumine excellerent ad studia cujusvis generis incumbentes novasque philosophandi rationes excogitantes, Zeno Sidonius, Philodemus Gadarensis, Lucretius, alii satis declarant.

Jam ea contemplemur, quae hac de re exhibuit Philodemus in eo libro, quem e Zenonis περὶ παῤῥηςίας commentariis exscripsit. (C. P. V, 2.) E tabulis mirum quantum mutilis tantummodo haec depromamus: magistri existimentur imprudentes, qui conviciis injuriisque discipulos dissentientes cumulant (fragm. 37); contra eorum, qui lenius mitiusque castigant, monita plerumque libenter ab errantibus accipiuntur (28); attamen qui audire noluerint, acrius aggrediendi (7); sunt nimirum, qui maligni hortationes non audiant (30); discipulis opiniones cum magistro communicandae eruditioque petenda (40). Tales Philodemus ait magistros fuisse Epicurum et Metrodorum (cf. Metrod. scriptt. num. 18. 19), neque ejus personam, quem duci putassent errore, vituperasse, sed aliis scribentes atque simulantes, quasi hi in opiniones falsas essent delapsi, revera peccantes castigasse. Sic teste Philodemo (fragm. 9) Leontii errores in Colotem contulit.

Ex quibus fragmentis Epicuro etiam vivo dissentientes fuisse discipulos patet. Memorantur erroribus impliciti Leontium (9), Heraclides (20), Apollonides (73). Colotem ad Hegesiam Πειςιθάνατον inclinasse ex Plutarcho notum. Ceterum Cicero de finib. I, 20, 66 Epicureos quosdam amicitiae notionem dilatasse tradit (cf. Jacob. Prolegg. ad Lucian. Toxar. pag. XV), sicut Diog. Laert. X, 31 refert, nonnullos κριτήρια τῆς ἀληθείας non modo ut Epicurum duxisse τὰς αἰςθήςεις καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη, verum etiam τὰς φανταςτικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας adjecisse, quod num sit verum, dubitare possis ex Diog. Laert. X, 38. Philodemus autem, quamvis saepius ad ἡγεμόνας et καθηγεμόνας recurrat, graviter affirmans, se non aberrasse a vero doctrinae Epicuri, Metrodori et Hermarchi ingenio (cf. de ira ed. Gomperz. pag. 144, de

vitt. virtt. oppos. C. P. III col. 12, al.), se tamen longe aliter atque sectae principes de sophistis sentire profitetur C. A. IV pag. 93 = Ox. II pag. 101: οἱ δὲ τὴν αἵρεσιν κτίσαντες ἡμῶν ἀντιφωνοῦσιν. (Vid. quae ad Metrodori πρὸς τοὺς σοφιστὰς librum collegi.) Ne longior evaderet expositio, eos dumtaxat locos, quibus distincte notatur differentia, attuli, alias e re ipsa consequentes discrepantias hic praetermittens [m]). Propter meram vero sentiendi discordiam e schola Epicurea nemo discessit praeter Metrodorum Stratonicensem, qui ad Carneadem defecit, causa quidem ipsi Diogeni (X, 9) non plane patente. Rem accuratius sciremus, si fragmentum incerti auctoris C. A. II pag. 185 seqq. in integrum restitutum esset. Verba βίου μεταλλαγή, sicut nomina Metrodori et Carneadis, quam saepissime invenimus. Pag. 187 leguntur uno, ut ajunt, tenore: Μητρόδωρος δὲ ὁ Στρατονικεὺς μέγας καὶ βίῳ καὶ λόγῳ γεγονώς (cf. Spengel. Philolog. l. c. pag. 535).

Jam de Metrodori ingenio explicare nobis pergentibus occurrit locus Senecae epist. LII, unde, quid de discipulo ipse judicaverit Epicurus, discimus. Dixisse magistrum philosophus refert, quosdam ad veritatem sine ullius adjutorio contendere et facere sibi ipsos viam maximeque illum hos laudasse, quibus ex se impetus fuerit, qui se ipsi protulerint. Quibus verbis succedunt: „quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo praecesserit, sed bene secuturos: ex his Metrodorum ait esse, egregium hoc quoque, sed secundae sortis ingenium“. Tertii coloris, cui non duce tantum opus sit, sed adjutore et — coactore, Epicurus ait Hermarchum exemplar fuisse.

Quod Epicuri judicium non dubitamus, quin rectum sit, praesertim, cum ex iis, quae de Metrodoro tradita exstant, idem facere liceat. Attamen cum hoc magistri judicio de discipulo illud Metrodori, de ipso magistro factum, comparare juvat, quod apud Plutarch. adv. Colot. 1108 E reperitur: εἰ μὴ προκαθηγήσατο Δημόκριτος, οὐκ ἂν προῆλθεν Ἐπίκουρος

m) Cf. Philodemi de poesi cum principe discrepantiam not. ad Metrod. fragm. num. XXXI. De Lucretio ab Epicuri placitis discedente cf. Bindseil. quaestt. Lucrett. Anclam. 1867.

ἐπὶ τὴν σοφίαν (cf. Metrod. fragm. num. XXXII et not.). Ceterum talis fuit magistri sectator Metrodorus, ut a Cicerone de finib. II, 28, 92 „paene alter Epicurus“ nuncupetur. Cf. Tuscull. Dispp. II, 3, 8. Atqui, nisi Metrodorus aliquid momenti gravioris ad ipsam doctrinam habuit, cur, quaeso, ejus dogmata laudaverint scriptores? Quin Plutarchus cum vi quadam illum his verbis inducit (non posse suav. viv. 1094 E): παραθήσομαι μόνα τὰ Μητροδώρου, et (adv. Colot. 1127 B): ἃ δὲ Μητρόδωρος — γέγραφεν, οὐκ ᾤμην δεῖν παρεῖναι (cf. Philodem. de vitt. virtt. oppos. C. A. III col. 27; de rhetor. C. A. V col. 22), perinde ac Seneca epistt. LXXXI. XCIX. longus est in Metrodoro refutando. Praeterea Philodemus commentationibus persaepe intexuit explicationes Lampsaceni, sed casu quodam accidit, ut argumentum fere omnium, quas ex ejus libris attulit, interpretationum, summum ingenii acumen majori ex parte frustretur, quod verba nullius explicationis supersunt integra.

Cogitationes vero ab Epicuro sive scholis sive libris tantum adumbratas Metrodorus non solum confirmasse explanando[a]), sed et illustrasse consequentiis, nec minus varias rerum circumspiciendarum rationes excogitasse novasque protulisse argumentationes sententiarum magistri fulciendarum a Philodemo de vitt. virtt. oppos. C. P. III col. 27 traditur, quo loco scriptor se non sine auctoritate principis περὶ οἰκονομίας exposuisse ait additque: ἡμῖν μὲν ἱκανὸς μετ' Ἐπικούρου Μητρόδωρος ἐπιστέλλων καὶ παραινῶν καὶ διοικῶν ἐπιμελέστερον καὶ μέχρι μικροτέρων. Quod attinet genus scripturae, fragmentis longe plurimis certus modus certaque exprimendi species inhaeret, argumento ab Epicuri doctrina omnino non differente. Namque inest in iis, quae restant, dictis, atque haec est causa, quod Metrodorum ab inimicis creberrime citatum videmus, vis quaedam sententiam exacuens vocabulorumque notionibus vehementius quid injiciens, qua fit, ut magistro

---

[a]) Cf. Cic. Tuscull. Dispp. V, 9, 27: „Quod idem melioribus etiam verbis“ (quam Epicurus) „Metrodorus“ cet.

longe asperior appareat discipulus. (Praeter Cic. de nat. deor. I, 40, 113: „Metrodorus vero, qui est Epicuri collega sapientiae, multa impudentiora recitabat“ cf. Metrod. fragmm. num. VI—VIII.) Quae modo breviter tantum attigi, ea ipsorum, quae collegi, Metrodori fragmentorum comparatione cum dictis Epicuri instituta planius patescent. Jam vero si quaerimus, quidnam de doctrinae discipuli expositionibus, utpote quibus interdum in alia omnia discessisse videatur (cf. annot. ad Metrod. fragm. num. V), magister judicaverit, utrum ei placuerint, an ceciderint in vituperationem, id decernere nequimus. Quale enim fuerit argumentum libri Epicurei πρὸς Μητρόδωρον scripti (Diog. Laert. X, 28), nescimus. At aetate Philodemi circumferebantur Epicuri ὑποθῆκαι εἰς Μητρόδωρον ἀναφερόμεναι, ut discimus ex fragm. C. A. I pag. 152: ...... ὑποψίαν τινὰ ἐ[?]μβαίνειν ὡς περί τινων ἐπιστολῶν καὶ τῆς εἰ[?]ς Πυθοκλέα περὶ μετεώρων ἐπιτομῆς καὶ τοῦ περὶ ἁ.... καὶ τῶν εἰς Μητρόδωρον ἀναφερομένων ὑποθηκῶν κτλ.°). Refert, ut videtur Philodemus, ab aliquo in suspicionem vocata esse Epicuri, quae enumerat, scripta, quorum recensioni succedunt verba: ἐξέλεξεν δὲ .... Reliqua desunt, quibus haud dubie opera ab illo judice critico pro genuinis habita continebantur. Nunc autem nobis inquirentibus, qualis Metrodorus in defendendo exstiterit qualesque sibi proposuerit adversarios libris aggrediendos, contentio cum Timocrate fratre offertur. Huic quidem primum Epicuri philosophiam amplectenti (Diog. Laert. X, 6: μαθητὴς δὲ αὐτοῦ) atque assidue ad sapientiae studium incumbenti de quibusdam magistri placitis scrupuli injiciebantur. Qui quales fuerint, tibi ex Metrodori fragmentis ad hanc controversiam spectantibus colligere licet. Nonnulla tamen propter orationis perpetuitatem hic praeoccupare libet. Dissentiebat scilicet Timocrates de causa εὐδαιμονίας nascentis. Nimirum Epicurus quemquam posse malum recte fugere

°) Spengel. Philolog. l. c. pag. 534/5 ait: „eine für die echten und angezweifelten Schriften Epicurs nicht unwichtige Stelle“. Modo caput loci esset servatum! Prae ceteris notanda suspicio de epitome περὶ μετεώρων missa ad Pythoclem, quae exstat Diog. Laert. X, 84 seqq.

negabat, nisi ipsa malorum, quae perpessus esset, memoria ex animo ejecta et earum, quibus antea fructus esset, voluptatum conservata novarumque spe concepta. Ipsam vero voluptatem cuique philosophus non minus ducit appetendam ac firmam validamque corporis constitutionem tuendam, quo perfectior nascatur tam voluptas, utpote quae tota referatur ad corpus, quam illa τῆϲ ψυχῆϲ ἀταραξία (Diog. Laert. X, 128). Quamobrem Metrodorum animadvertimus ad corpus potissimum Timocratem revocare atque gloriari, se ab Epicuro ὀρθῶϲ γαϲτρὶ χαρίζεϲθαι (vid. Metrod. fragm. XIII) didicisse. At istam bonam firmamque corporis constitutionem ad εὐδαιμονίαν necessariam non servabimus nisi bene viventes, edentes jucunde et bibentes vinum. Circa ventrem est bonum, περὶ γαϲτέρα τὸ ἀγαθόν. Quam sententiam ut ferret Metrodorus crebrius vocem γαϲτήρ usurpans, idcirco factum existimamus, quo melius declaret, penes nosmet ipsos causam esse εὐδαιμονίαϲ adipiscendae principalem, nec idem valere res externas, quamvis et ipsae ad corpus pertineant.

Haec tamen Timocratem dubitasse et potius sensisse, plus valere εὐδαιμονίαν, quae in rebus externis, quam quae in nobismet ipsis esset, tum ex Metrodori enunciationis gravitate patet, tum ex illo, quo Timocratem alloquitur, vocabulo φυϲιολόγοϲ (vid. Metrod. fragmm. num. VI. VII), significante eo quidem, illum plus tribuisse rebus externis, quam corpori.

Hoc ipsum Metrodorus exposuit in libro, quem inscripsit περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶϲ αἰτίαν πρὸϲ εὐδαιμονίαν τῆϲ ἐκ τῶν πραγμάτων (vid. Metrod. scriptt. num. 8), unde eum contra Timocratem fuisse compositum facile conjicias.

Nescimus autem, num haec differentia fuerit sola, an exstiterint plures. Etiamsi enim Epicuri liber a Diog. Laert. X, 18 laudátus περὶ παθῶν δόξαι πρὸϲ Τιμοκράτην inscribitur (ut sint conjungenda, quae nonnulli putant separanda), tamen de perturbationibus quaestio cum illa de causa εὐδαιμονίαϲ arcte cohaeret, siquidem rebus externis magister perturbationes augeri censebat.

Neque nova inest discordia in eo, quod Metrodorus

Timocratem nimis patriam curantem ad curam revocat ventris (fragm. num. XVII), quippe ἀταραξίαν τῆς ψυχῆς ἀσύμβλητον εἶναι ταῖς μεγάλαις ἡγεμονίαις arbitratur (fragm. num. XX). Solam vero acerrimae, quae exorta est, contentionis causam illam fuisse in philosophicis dissensionem (cf. Cic. de nat. deor. I, 33, 93: „cum Epicurus — Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus conciderit“), respectu eorum, quae ceteroquin de Timocrate tradita exstant, facile negaveris. Namque huic homini acri pronoque ad iram etiam cum Actoride fratre fuit rixa, a quo quidem eum male acceptum scribit Philodemus de ira ed. Gomperz. pag. 48 (col. 12): ἐνίοτε καὶ παρὰ πολὺ [?] συμβάλλουσιν ἰσχυροτέροις· οὐ γὰρ ἐᾷ διακρίνειν ὁ θυμός· ὡς καὶ Τιμοκράτην φησὶν ὁ Μητρόδωρος τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν ἀδελφῶν Ἀκτορίδῃ. Adde etiam, quod maximum ejus odium exstitit in magistrum ipsumque fratrem, sicut indicat Philodemus περὶ παῤῥησίας C. P. V, 1 col. 20 his verbis: ὡς Τιμοκράτης καὶ φιλεῖν ἔφη τὸν ἀδελφὸν ὡς οὐδεὶς καὶ μισεῖν ὡς οὐδείς.

Discessit igitur e schola Epicurea (Diog. Laert. X, 6), quo facto librum foras dedit sub titulo Εὐφραντά, cujus quale fuerit argumentum, ex Diogene constat (l. c.). E trivio arripuit objurgationes Epicuri quam spurcissimas et huc atque illuc circumcursavit magistrum calumnians. Testis est Alciphron epist. II, 2, 10 (ed. Seiler.): τί ποιεῖς Ἐπίκουρε; οὐκ οἶσθα, ὅτι διακωμῳδεῖ σε Τιμοκράτης ὁ Μητροδώρου (sic!) ἐπὶ τούτοις ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἐν τοῖς θεάτροις, παρὰ τοῖς ἄλλοις σοφισταῖς; (Cf. Diog. Laert. X, 4.) Fortasse, quo magis ei crederetur, se Epicuri opiniones quam maxime noxias dolere simulavit. Scribit certe Suidas (v. Ἐπίκουρος art. 2, cf. v. κλάειν) subjecto omisso haec: εἶτα ἀνέθορεν Ἐπικούρῳ καὶ ταῖς δόξαις κλάειν λέγων, quae probabiliter ad Timocratem existimes referenda. Quibus objurgationibus commotus Epicurus scripta edidit adversus illum calumniatorem (Cic. de nat. deor. I, 33, 93), unde Diog. Laert. X, 28 libros memorat inscriptos Τιμοκράτης et πρὸς Τιμοκράτην. Item etiam Diogenes X, 24 Metrodorum ait composuisse librum πρὸς Τιμοκράτην et X, 136

laudat Metrodorum ἐν τῷ Τιμοκράτει. Eundem Plutarchus (non posse suav. viv. 1098 B) edidisse narrat ἀντιγραφάς adversus fratrem, quem respondisse discimus e scholio Procli ad Hesiod. opp. 284 (cf. Plutarch. fragmm. ed. Duebner. pag. 22 num. VII): Τιμοκράτην καὶ Μητρόδωρον τοὺς Ἐπικουρείους ἀδελφοὺς ὄντας, καὶ προσκρούσαντας ἀλλήλοις ἐκδοῦναι κατ' ἀλλήλων συγγράμματα. Timocrates autem propter continuas calumnias ab Epicuro tandem in jus vocatus in Asiam elapsus est. At misit ille teste Plutarcho (adv. Colot. 1126 C) τοὺς Τιμοκράτει λοιδορησομένους καὶ τῆς βασιλικῆς ἐξελεῖν αὐλῆς τὸν ἄνθρωπον, ὅτι Μητροδώρῳ προσέκρουσεν ἀδελφὸς ὤν. Ceterum, quis fuerit ille βασιλεύς (Lysimachus, an Seleucus?) quaeque ἡ βασιλικὴ αὐλή, non liquet, nec omnino hac de re quidquam amplius traditum est. Nihilominus fuerunt, qui rei finem imponere conati sint pulchriorem quam veriorem. Nempe illum, quem instituit Epicurus testamenti ἐπίτροπον (praeter Amynomachum) Timocratem, Demetrii filium Potamium, Jonsius et Fabricius eundem putant atque fratrem Metrodori. Immo ex Timocrate Atheniensi (Ποταμός est pagus Atheniensis) de Metrodoro Atheniensi argumentantur. Epicurum autem Timocratem rursus schola sua recepisse quominus una cum istis vv. dd. credamus, cum nimis exigua veritatis specie, tum silentio Plutarchi et Diogenis prohibemur. Quare, postquam duo Timocrates Epicuri discipulos fuisse jam dudum Bruckerus hist. philos. I pag. 1250 exposuit, recte istis Jonsii et Fabricii fictionibus refutatis, plus quam mirum nobis videtur, quod Steinhart. in Ersch. et Gruber. Encycl. v. Epicur., sicut Pauly. R.-E. v. Timocr. ista commenta, vera rerum ratione plane neglecta, repetunt. Sed jam certum quendam ordinem sequentes Metrodori, quos confecit, libros recenseamus.

I. Scripta ad Epicuri doctrinam spectantia.

a) Libri in universum de philosophia conscripti.

1) Περὶ τῆς ἐπὶ σοφίαν πορείας.

Laudatur hic liber a Diog. Laert. X, 24. Non idem est atque qui περὶ φιλοσοφίας inscribitur (num. 2), uti Menagio

visum est parum rationem habenti titulorum minime idem declarantium. Quod ad argumentum pertinet, contendas Diog. Laert. X, 117. 122.

2) Περὶ φιλοσοφίας.

Hoc opus a Plutarcho adv. Colot. 1127 B memoratum Menagius etiam adv. Colot. 1108 E: ὁ δὲ Μητρόδωρος ἀντικρὺς περὶ φιλοσοφίας εἴρηκεν laudari suspicatus est, quapropter scribendum proposuit: ἀντικρ. ἐν τῷ περὶ φιλ. εἴρ. At non est, cur verba vulgata reprobes, ad quae modo mente concipias nomen Ἐπικούρου, nam de Epicuri philosophia hocce loco agitur. Cf. Metrod. fragm. num. XXXII. Ceterum Metrodorus omnes philosophiae partes tractasse videtur atque ex libri fragmentis a Plutarcho (vid. fragmm. num. XVIII. XIX) servatis eum etiam de republica capessenda quid philosopho cogitandum sit, disseruisse constat.

b) Libri physica continentes.

3) Περὶ μεταβολῆς.

Citatur haec scriptio a Diogene Laertio X, 24 et Philodemo de pietate ed. Gomperz. pag. 137. 138 (bis. Cf. C. A. II pag. 122. 123). Librum Metrodorus scribere instituit, ut fragmento, quod apud Philodemum (vid. Metrod. fragm. num. I) reperimus male servatum, confirmatur, de iis, quae mutentur, quaeque nequeant mutari, quae solvantur, quaeque semper maneant eadem. Atque his de rebus quaestiones cum generatim antiquis philosophis, tum imprimis Epicuro ex atomorum agitatione et concretione universum deducenti gravissimae exstiterunt, quippe cujus de diis, de anima, de mundo, ceteris doctrina inde illustretur. Cf. Diog. Laert. X, 40. 54 seqq. Lucret. de rer. nat. I, 584 seqq. II, 478 seqq. (cum Munr. annott.) et quae nos ad Metrod. fragm. num. I annotabimus.

4) Περὶ θεῶν.

Laudat hoc opus Philodemus l. c. pag. 137 apud Gomperz. (C. A. II pag. 122): καὶ Μητρό(δωρος) τυγχάνει ...... (οὐκ ἐν) τῷ περὶ θε(ῶν οὐ)δ' ἐν τῷ πε(ρὶ μετα)βολῆς, ubi περὶ θεῶν non dubie reposcitur. In universum cf. Cic. de nat. deor. I. II.

Diog. Laert. X, 123 seqq. Pseudo-Metrodor. fragmm. in C. P. VI, 2 (vid. Metrod. scriptt. num. 11). Lucret. de rer. nat. V, 146 seqq. cum Munr. nott. Schoemanni schediasma de Epicuri theologia. Gryphisw. 1864 (ind. scholl.). E loco Philodemi supra citato facile colligas, Metrodorum ad Epicuri de diis doctrinam comprobandam in hoc libro rationibus disputasse ex iis, quae de mutatione concretionum sentiebat, repetitis. Etenim, uti ex Philodemi de deorum vivendi ratione commentario (C. P. VI, 1 col. 6) patet, fusius explicavit Epicuri de deorum sanguine opiniones, negantis quidem (Cic. l. c. I, 18, 49. 25, 71) „esse corpus deorum, sed tanquam corpus, nec sanguinem, sed tanquam sanguinem". Locum Philodemi, ut videtur, ad hunc, de quo agimus, librum spectantem Scottus sic restituit: μ(άλιcτα δὲ περὶ τοῦ cώμ)ατο(c γρα)πτέον κ [pro καὶ] δ(εκτέον διὰ π)αντὸc αἷμ(α αὐτῶ)ν οὐ παν(ταχόθεν) πᾶ(ν) cύμπτωμα κα(τὰ τὸ)ν Μητρόδωρον (ἐκφ)ανίζειν ὃν τοιοῦτ(ο ὡc μη)δέποτε ἐγκυρῆcον αἰτίοιc φθορ(ίοιc τῆc ψ)υχῆc. Supplementa inde a verbis αἷμα αὐτῶν illata pro certis habemus. — Verisimile est, universam scholam iisdem fere hic usam esse argumentationibus, quas videmus auctorem illius commentarii adhibuisse, quem Scottus editor, leviori suo judicio fretus, Metrodoro attribuit (C. P. VI, 2 col. 17. 18).

Namque sanguinem deorum affirmantes, cum ab adverversariis in angustias compellerentur, facere non potuerunt, quin, qualis ille sit et qua ratione corruptionis sit expers, explanarent. Idcirco plerumque provocabant ad duo concretionis genera, alterum subtilius solaque mente perspicuum, alterum crassius et dissipationi obnoxium. Praeter hanc distinctionem qualem induxerit Metrodorus, ad fragm. num. I dicemus.

Huc quoque pertinere videntur verba Philodemi de pietate (ed. Gomperz. pag. 107. C. A. II pag. 77): .N.ΟΥΤΩΙ [ἐν τούτῳ?] δὲ μακρὰν ἀφεcτήκαcι τοῦ (μὴ) τὸν ἁ(γνεύ)οντα λόγον ἐν τοῖc περὶ θεῶν λέγειν ὥcτε καὶ Cωκράτην Μητρόδωροc αὐτὸν πρὸc Εὐθύφρονα τὸν Πλάτωνοc εἴπερ ἐπό(ει)· τοῦτο καταμέ(μφε)ται .... Quae verba quamquam non video, quemadmodum inter se ita conjungam, ut facilis evadat atque ex-

pedita conformatio [p]), tamen sententia Philodemi acuta Gomperzii vocis ἁγνεύοντα restitutione, quae etiam simplicissima est, sua sponte intelligitur. Ait scilicet philosophus Gadarensis, quosdam (subjectum verbi ἀφεςτήκαςι lacuna absorptum) libris περὶ θεῶν conscriptis a ratione, qua sibi sanctitatem parent homines commerciumque cum diis instituant (ἁγνεύων λόγος), accuratius describenda longe abfuisse. Quod Metrodorum in Socrate, cum Euthyphrone hac de re disserente apud Platonem in dialogo, qui inscriptus est Euthyphron, reprehendisse, e loco nostro satis perspicitur. Nimirum apud Platonem l. c. Socrates vatem, a quo nomen libello inditum est, rerum divinarum, ut ipse putat, valde peritum, simulata rei investigandae sedulitate, eo perducit, ut primo quidem definitionem propositam, pietatem idem valere atque τὸ θεοφιλές, accipiat, tum vero, Socratis demonstratione erroris convictus, mittat missamque postremo iterum imprudens recipiat. Abit vates disputationis pertaesus, Socratis de pietate opinione nondum ad liquidum explorata. Quam rem Metrodorum in libro περὶ θεῶν composito attigisse non male quispiam conjiciat. Ceterum hic locus non praetereundus judicaturis de auctoritate Euthyphronis dialogi. Quam maxime quidem reprehensiones conferuntur ad fidem dialogi in suspicionem adducendam, utpote in quo de natura pietatis nihil sit diligentius expositum, immo ne significatum quidem; quam vituperationem licet a Metrodoro videamus anticipatam, tamen hic dialogus nihilo secius a Platone confectus censetur.

c) Libri ad ethicam pertinentes.

5) Περὶ μεγαλοψυχίας.

Memorat hoc scriptum Diogenes Laertius X, 24 et videtur Philodemus laudasse loco lacunis admodum perplexo libri περὶ κακιῶν in C. P. III col. 7 (Ox. I col. 8), ubi de superbis agitur sapientibus. Legimus verba: (οἵου)ς ὁ Μητρόδω(ρο)ς αὐτο(ὺς εἶν)αί φ(η)ςιν, ut explevit quidem Sauppius (Philodemi de

---

p) Copulari possunt verba in hunc modum: ὥςτε Μητρόδ. καὶ αὐτὸν Cωκράτην καταμέμφ. εἴπερ τοῦτο ἐπόει πρὸς Εὐθύφρ. τοῦ Πλατ.

vitiis liber decimus Lips. 1853. pag. 15). Compares potissimum col. 15: καὶ διαιρεῖν μεγαλοψυχίαν ὑπερηφανίας, ἀλλὰ μὴ συμφύρειν ὡς ἓν καὶ ταὐτόν· διαφέρει γὰρ ὅσον καὶ ἐπὶ τοῦ σώματος οἰδήσεως εὐεξία· καὶ ἔστι τοῦ μὲν μεγαλοψύχου τὸ καταφρονεῖν τῶν τυχηρῶν, ὑπερέχοντα τῷ τῆς ψυχῆς ὄγκῳ· τοῦ δ' ὑπερηφάνου τὸ διὰ κουφότητα ταύτης ἐκπνευματούμενον ὑπὸ κτήσεως ὑπερορᾷν ἑτέρους. Cf. Aristot. eth. Nic. II, 7. IV, 3, ubi μεγαλοψυχία medium tenet locum inter μικροψυχίαν et χαυνότητα.

6) Περὶ πλούτου.

Citat hoc opus praeter Diogenem Laertium X, 24 Philodemus de vitt. virtt. oppos. C. P. III, 1 col. 12 (ed. Goettling. Jen. 1830 una cum Aristot. Oeconom.), περὶ πλούτου in C. A. III col. 6. Quod ad priorem Philodemi locum spectat, eum diligenter consideres sic a Goettlingio restitutum: Φιλοσόφῳ δ' ἐστὶ πλούτου μικρόν, ὃ παρεδώκαμεν (πάντα καθ)ὼς [Neap.: εὐκαιρῶς] τοῖς καθηγεμόσι δοκεῖ [δοκεῖ deest in Neap.] ἐν τοῖς περὶ πλούτου λόγοις, ὥστε τὴν οἰκονομίαν τῆς τε τούτου κτήσεως καὶ τῆς τούτου φυλακῆς (παραδ)ιδόσθαι [Neap.: μεταδ.]. Κεῖται τοίνυν ἐν τῷ περὶ πλούτου Μητροδώρου τοιαῦτα πρὸς τὸν τρόπον ἐν τῷ λόγῳ τῷ πρὸς ἐροῦντας ἴσως ὅτι πολὺ κουφοτάτην καὶ ῥᾴστην οἱ Κυνικοὶ διαγωγὴν (ποιοῦν)ται [Neap.: βιοῦνται] πᾶν αὐτῶν περι(φέρον)τες [Neap.: περιέλκοντες] εἰς τὸ δυνατόν, ὃ μὲν (ἀμ)ελῆ [Neap.: εὐτελῆ, cf. Epicur. apud Diog. Laert. X, 145. 146: παντελῆ] παρέχει βίον εἰρηνικόν τε [Neap.: δὲ] καὶ μάλιστ' ἀθόρυβον, φροντίδα δ' ὡς ἐλαχίστην μ(όνο)ν [Neap.: μελέτην] καὶ πραγματείαν.

Tum Philodemus libri procedentis col. 21 persaepe ait evenisse, ut philosophi de quibusdam rebus verba facerent parum perspectis, tracti illi quidem (ἑλκυσθῆναι) loquendi usu vulgari, progrediente vero expositione cum multitudine discrepantes hanc ipsam redarguerent. Deinde ὅπερ, inquit, Ἀριστοτέλης ἔπαθεν κατὰ τὸν ἐν τῷ περὶ πολειτικῆς λόγον [Neap. perperam: ἐν τῷ Περιπάτῳ διάλογον, quem ipse se nescire confitetur Javaronius editor] ὑπὲρ τοῦ τὸν μὲν ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ χρηματιστὴν ἀγαθὸν εἶναι, τὸν δὲ φαῦλον καὶ χρη-

ματιστὴν φαῦλον, ὡς ὁ Μητρόδωρος ἀπέδειξεν [Neap.: περίδειξεν?]. Cf. Aristot. eth. Nic. IV, 1 et Goettling. annot. ad l. c. Philodem.

Jam contemplemur Philodem. περὶ πλούτου l. c. coll. 10 et 16 (col. 6 laudatur Metrodorus περὶ πλούτου). Col. 10 reperimus haec (antecedunt litterae inexplicabiles): αὐτὴν πρὸς ἣν εἴπαμεν πενίαν καὶ ΠΑ...CA [παροῦcα?] κατη(γο)ρεῖται πενίας ὡς ἐλλειπο(ύ)cης πλούτου τῆς ἀληθείας ὡς ὁ Μητρόδωρος ἔφη κατάψευςμά τ' ἐςτὶ Κ..ΑΤΟΝΔΙΑ [καὶ μὰ τὸν Δία?] οὐ μόνον ЄΠ..ΦΥCΙΝ.... Verborum conformationem non satis perspicio; haud scio an legendum sit: (παρούσης) πενίας κατηγορεῖται πλοῦτος τ. ἀληθ.

Videntur ipsa Metrodori verba allata esse, sed quoniam, quorsum spectent verba ὡς ὁ Μητρόδ. ἔφη, non liquet, utrum ad antecedentia, an ad sequentia (cf. duplex ὡς Plutarchi laudantis Metrod. fragmm. num. IV et XI), hunc locum in fragmentorum numero ascribere non potui. Sententiam vero in libro suo Metrodorus videtur hancce exposuisse: sapientiae inops revera pauper (πενίαν πρὸς ἣν εἴπαμεν); etiamsi divitiis caret sapiens, tamen veritate (sapientia) adeo se praestat abundantem, ut paupertas plane abesse videatur (πενίας ὡς ἐλλειπούσης). Cum imagine πλοῦτος τῆς ἀληθείας compares e. g. Plat. Euthyphr. 12 D: πλοῦτος τῆς σοφίας (ubi vid. Stallb.). De re cf. Sen. epistt. II. XVI. XVII. XXI, al.

Qua eadem argumentatione si Metrodorum malum paupertatis maerentes consolatum altero loco col. 16 traditum fuisse censueris, non multum, opinor, errabis. Verba sunt: (πενί)αν [?] ὀνομάζο(ν)τες (ο)ὐκ ἐκωλύοντο λέγειν κακὸν Є.Ο.Α.ΔΙΟΥ [δι' οὗ?] (π)αραμυθεῖσθαι τοῖς ἐπὶ ταύτΑΙ [ῃ] λυπουμένοις ἐδύ(ν)ατ' ὁ Μητρόδωρος κτλ. Ἐπὶ ταύτῃ intellige ex libri argumento πενίᾳ. Verbis (πενί)αν ὀνομάζοντες — κακὸν Philodemus fortasse Platonicos et Peripateticos aggreditur, qui, quamvis hominem pauperem non negarent sapientem atque beatum esse posse, tamen non impediti sint (οὐκ ἐκωλύοντο), quominus malum dicerent paupertatem. Cf. praeter

alios locos Cic. Acad. II, 43, 134; de finib. V, 27, 80 seqq. 28, 84. Tuscull. Dispp. V, 23, 55 seqq. 31, 89. 35, 102.

7) Περὶ οἰκονομίας.

Metrodorum librum singularem de administrandae rei familiaris scientia (ut ait Sen. epist. LXXXIX) condidisse, Philodemus de vitt. virtt. oppos. col. 27 videtur verbis hisce indicasse: εἰ δὲ καταμέμφεταί τις ἡμῶν περὶ οἰκονομίας ἀναγραφόντων, ἡμῖν μὲν ἱκανὸς μετ' Ἐπικούρου Μητρόδωρος, ἐπιστέλλων καὶ παραινῶν καὶ διοικῶν ἐπιμελέστερον καὶ μέχρι μικροτέρων καὶ ποιῶν αὐτός. Sin quis Metrodorum dixerit in libro περὶ πλούτου col. 12 citato hanc rem tractasse, non repugnabo. Me quidem meam in sententiam traxerunt verba ἐπιμελ. κ. μέχ. μικρ. De re cf. a Philodemo exposita.

8) Περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων.

Commemorat hoc scriptum Clemens Alexandrinus strom. II, 417 C. Vid. Metrod. fragm. num. X. Ad argumentum adhibe, quae supra enarravi de causa contentionis, quae Timocrati cum Metrodoro intercessit.

9) Περὶ εὐγενείας.

Citatur hicce liber a Diogene Laertio X, 1 et 24. Loco quidem priore ex eo afferuntur, quae de Epicuri parentibus, patria, familia cum lectore communicantur. Unde Metrodorum concludam, magistrum, si non libro toto, certe illa commentationis parte a Diogene laudata contra vexationes Timocratis et Herodoti [9]) defendisse, qui Epicurum civem esse legitimum (γνησίως ἀστόν) negaverant (Diog. Laert. X, 4). Quam sententiam si approbaveris, facile, opinor, perspicies, quonam modo Metrodorus de Epicuri origine disseruerit. Philosophum nostrum obtrectatores ad nobilitatem veram non tam in gloria majorum (ἀρετὴ γένους Aristot. hist. an. I, 1; rhet. II, 15. Cf. Platon. Theaet. 174 E) falsisque fortunae bonis, quam in sola recte vivendi ratione constantem ex Lucretio colligere licet stultos

---

[9]) Fortasse et hic Epicuri amicus postea magistrum deseruit.

despiciente, qui „nobilitate contendere“ studeant. Vid. de rer. nat. II, 11 seqq. et cf. v. 37 seq.:

„nil nostro in corpore gazae
proficiunt, neque nobilitas nec gloria regni“.

10) Περὶ ποιημάτων.

Plutarchus (non posse suav. viv. 1094 A) secundum lectionem vulgatam exhibet περὶ ποιητῶν. Genuina vero invenitur apud Philodem. de rhetor. C. A. IV pag. 99 = Ox. II pag. 107. C. A. V pag. 38: Μητρόδωρος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ποιημάτων (Plutarch l. c: ἐν τοῖς π. π.) Cf. Gomperz. comment. „die herculanischen Rollen“ in ephemeridibus, quae inscribuntur „Zeitschrift für die österr. Gymnas.“ XVI pag. 824 seq. De argumento vid. quae ad Metrod. fragm. num. XXXI annotabimus.

In primo hujus operis libro Metrodorum quaestionem explicasse, utrum ars sit poesis necne, Philodemus l. c. hisce indicat verbis: καὶ Μητρόδωρος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ποιημάτων ἱκανῶς ἔοικεν παρεμφαίνειν τὸ τὴν σοφιστικὴν ῥητορικὴν τέχνην ὑπάρχειν· διαλεγόμενος γὰρ πρός τινα τῶν περὶ ποιήματος συγγεγραφότων .....(reliqua desunt). De arte sophistarum rhetorica sine dubio in libro de poesi composito non disseruisset, nisi disquisitione sua eo adductus fuisset. Cf. scriptt. num. 14.

d) Liber ad philosophiae partem canonicam pertinens.

11) Περὶ αἰσθήσεων.

Laudat hanc scriptionem Diogenes Laertius X, 24. A. Scottum fragmentorum columnas XXI, quas in C. P. VI, 2 edidit, hujus Metrodori reliquias duxisse, in prooemio commentationis nostrae memoravimus. Praemunivit quidem vir doctus fragmentis commentario instructis argumentationem, qua suam de scriptore conjecturam fulciret, argutiis exornatam. At ipse se „divinatione“ quadam titulum refinxisse confitetur (§ 5). Ceterum, ut paucis diluamus Scotti argumentationem fallacem: omnis divinatio, ut videtur, iis evertitur verbis, quae col. 15 reperimus ad notissimum illud Eratosthenis spectantia. Sunt autem haecce: Βίωνος τοῦ κατὰ

Ε.ΟΦΡΑCΤΟΝΠ..ΤΟΥ φιλοcοφίαν ἀνθίνοιc κοcμήcαντοc cet. Scottus restituenda restituit ΘΕΟΦΡΑCΤΟΝ ΠΟΗΤΟΥ (= ποιητοῦ). Quibuscum conferas Diog. Laert. IV, 52: διὰ δὴ οὖν τὸ παντὶ εἴδει λόγου κεκρᾶcθαί φαcι λέγειν ἐπ' αὐτοῦ (Bion.) τὸν Ἐρατοcθένην ὡc πρῶτοc Βίων τὴν φιλοcοφίαν ἀνθινὰ ἐνέδυcεν et Strabon. geogr. I, 15: Ἀπελλῆc τε αὐτῷ (Eratostheni) πολύc ἐcτι καὶ Βίων, ὅν φηcι πρῶτον ἀνθινὰ περιβαλεῖν φιλοcοφίαν. Ceterum dictione ἀνθινοῖc κοcμεῖν mellus, opinor, exprimitur illud Diogenis παντὶ εἴδει κεκρᾶcθαι, quam vocabulis περιβάλλειν, ἐνδύειν. „Floribus enim", inquit Bernhardyus Eratosthen. pag. 189, „jam dudum Plato philosophiam exornaverat inque amoenissimam redegerat formam; non igitur primus Borysthenita floribus, sed flosculis orationisque ampullis, quales dicteria apud Diogenem servarunt, genus illud litterarum decorasse dictus ab Nostro est censendus." Cf. Welcker. prolegg. ad Theogn. pag. XCI. Κοcμεῖν idem ac sermone germanico „ausstaffieren". De Bione vid. Mullach fragmm. grr. philoss. II, 419 seq. Verumtamen, quoniam testes modo citati Diogenes et Strabo illius dicti auctorem Eratosthenem geographum perhibent, idem etiam scriptorem hujus, de quo agimus, commentarii spectasse illumque eadem, atque Diogenes et Strabo, laudasse ratione manifestum est. Eratosthenes autem fere a. 275 natus a Metrodoro non potuit laudari, quippe qui jam a. 277 diem obiit supremum. Mirum quantum Scottus a vero discessit, quod lectori persequendum relinquo. Equidem commentarium non nego ab Epicureo quodam scriptum esse, quia id argumento satis comprobatur. Sed de ejus nomine conjecturis abstineo. Quo quidem evidentior fiat consensus locorum inter se comparatorum, Pseudo-Metrodorum sic expleo: Βίωνοc τοῦ κατὰ Θεόφραcτον ΠΡΩΤΟΥ φιλοcοφίαν ἀνθινοῖc κοcμήcαντοc (cf. Diog. ὡc πρῶτοc Βίων, Strab. ὅν φηcι πρῶτον). Verbis scilicet κατὰ Θεόφρ. scriptor significare voluit, Bionem Theophrasto fuisse aequalem. Cf. Bernhard. l. c. pag. 187 seq. Ceterum de Metrodori libro π. αἰcθ. nil constat. De argumento cf. Diog. Laert. X, 31 seqq., Sext. Empir. adv. math. VII, 210 seq., al.

II. Scripta, quae fuerunt de doctrina ac rebus sectarum singulorumque hominum.

a) Libri, quibus Metrodorus sectas aggressus est.

12) Πρὸς τοὺς ἰατρούς.

Diogenes Laertius X, 24 tris memorat hujus operis libros. Scholae Epicureae principes etiam rem medicam ad dogmata sua studuisse revocare, indicibus comprobatur scriptorum, quae de illa edidisse traduntur. Atque Metrodorus cum ipsos oppugnasse videatur medicos, Epicurus suam de morbis doctrinam suscepit exponendam in libro, qui fuit περὶ νόσων (vid. Diog. Laert. X, 28). Sed, numquid valuerint ad suae aetatis artem medicinam, si roget quispiam, certi nihil respondere possumus (cf. Sprengel. Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. Ed. Rosenbaum. I pag. 450). In universum „medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa“ (ut ait Cic. de finib. I, 13, 42) videntur probasse. Cf. Diog. Laert. X, 138: ὥσπερ τὴν ἰατρικὴν διὰ τὴν ὑγίειαν (αἱρεῖσθαι), sicut Marc. Antonin. IX, 41. Morbos seminibus casu coortis gigni, quae sint morbo mortique, quibusque aer fiat morbidus, uberius docet Lucretius de rer. nat. VI, 1090 seqq., ubi vid. Munr.

Primus, quod sciam, ad philosophorum atomisticorum, praecipue Epicureorum dogmata rem medicam accommodavit Asclepiades, medicus Bithynius (circa a. 110 ante Chr. nat.), de quo plura exposuit Isenseeus in libro, qui inscribitur Geschichte der Medizin, pag. 109 seqq. (ubi vid. pag. 111 § 5). Quod spectat ad rationes, quibus posteriores Epicurei scholas respexerint medicorum empiricam et methodicam, vide librum Philodemi περὶ σημείων καὶ σημειώσεων in C. A. IV (ed. Gomperz. Lips. 1865. Cf. col. 38).

13) Πρὸς τοὺς διαλεκτικούς.

Citat hunc librum Diogenes Laertius X, 24. Quinam vero sunt dialectici? Menagius hoc nomine Metrodorum voluit Megaricos denotasse, quod libro quodam Epicuri (πρὸς τοὺς

Μεγαρικοὺς διαπορίαι Diog. Laert. X, 27) confirmari videtur. Cf. Ritter. et Preller. hist. philos. ed. III § 228 not. Primus Euclidis sectatores vocavit Dialecticos Dionysius ὁ Καρχηδόνιος [r]) testante Diog. Laert. II, 10, 106 διὰ τὸ πρὸς ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν τοὺς λόγους διατίθεσθαι. Attamen Metrodorum omnes voluisse philosophos dici, ὅσοι περὶ τὴν τῶν λόγων τερθρείαν καταγίνονται (Diog. Laert. prooem. 17, cf. Philodem. περὶ φιλοσόφων fragmm. in C. P. VIII col. 17), multo veri est similius secundum A. Octavianum praef. ad Philodem. rhetor. C. P. V, § 11, Salv. Cyrillum praef. ad Philodem. περὶ τοῦ καθ' Ὅμηρον ἀγαθοῦ λαοῦ in C. P. VIII, § 2, Gassendum de vita, moribus et doctrina Epicuri VII, 10. Eam philosophiae partem, quae est quaerendi ac disserendi, neglexisse scholae principes et supervacaneas duxisse definitiones, referunt Cicero de finib. I, 7. II, 6 al. Acad. I, 19. II. 30 al.; Diogenes Laertius X, 31: τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσιν· ἀρκεῖν γὰρ τοὺς φυσικοὺς χωρεῖν κατὰ τοὺς τῶν πραγμάτων φθόγγους. Tamen concludi de incertis ex iis, quae cognosci possint, necesse esse non negabant apud Diog. Laert. X, 32: περὶ τῶν ἀδήλων ἀπὸ τῶν φαινομένων χρὴ σημειοῦσθαι. Quin Zenonem et Philodemum istam cogitandi rationem diligenter coluisse docet Philodemi liber περὶ σημείων καὶ σημειώσεων in C. A. IV (ed. Gomperz. Lips. 1865. Cf. praef. pag. XI seq.). Vid. Prantl. „Geschichte der Logik" I pag. 402 seq.

14) Πρὸς τοὺς σοφιστάς.

Diogenes Laertius X, 24 laudat novem hujus operis libros. Plutarchus (non posse suav. viv. 1091 A) ex iis deprompsit fragm. Metrod. num. IV et Galenus (de libr. propr. 17) se narrat librum περὶ τῶν πρὸς τοὺς σοφιστὰς ἐννέα Μητροδώρου [s]) scripsisse. Ceterum praecipue quidem e Philodemi rhetoricum reliquiis constat, de omnibus propemodum philosophiae

---

[r]) Cobet. exhibet Χαλκηδόνιος, sed in indice Καρχηδ. Rossius comm. Laertt. pag. 8 seq. Χαλκηδ. scribendum censet propter locum Strabonis geogr. XII, 566, ubi Dionysium τὸν διαλεκτικόν e Bithynia ait oriundum.

[s]) Vid. Joan. Jonsii de scriptor. hist. philos. I, 20, 4.

partibus Epicureis cum sophistis controversias intercessisse, sed cunctae ferme contentiones ex illa manarunt disserendi ratione, qua sophistae et in litteris et in rebus publicis dijudicandis utebantur. Cf. Gros. praef. ad Philodem. rhetor. Paris. 1840. Tametsi vero de controversiarum materiis nos faciunt certiores creberrimi Philodemi in sophistas incursus, tamen cave opineris, philosophum Gadarensem idem sensisse de ipsa rhetorica adversariorum atque scholae principes Epicurus, Metrodorus, Hermarchus. Differentiam exprimit Philodemus in C. A. IV pag. 93 = Ox. II pag. 101 hisce verbis[1]: νῦν ἐπ' ἐκεῖνο βαδίζωμεν, ὅτι τέχνην οὐχ ἡμεῖϲ λέγομεν τὴν ϲοφιϲτικὴν, οἱ δὲ τὴν αἵρεϲιν κτίϲαντεϲ ἡμῶν ἀντιφωνοῦϲιν .... quae sequuntur, vid. in annott. ad Metrodor. fragmm. num. XVII—XXI. Artem sophistarum rhetoricam quamvis idem narret Metrodorum „ἱκανῶϲ“ inquisivisse in primo περὶ ποιημάτων libro (locum quidem lacuna interruptum supra num. 10 exscripsi), tamen in his libris adversus sophistas conscriptis illum neglexisse istam quaestionem, ecquis sibi persuadeat? Iterum laudatur haecce, ut videtur, Metrodori disquisitio C. A. V pag. 58 (Philodem. rhetor.), quem quidem locum aliis relinquo enucleandum.

b) Libri, quibus res singulorum hominum tractantur.

15) Πρὸϲ Δημόκριτον.

Testis hujus scripti est Diogenes Laertius X, 24. Epicurum physices Democriteae, quod certe ad universam hujus disciplinae rationem attinet, heredem fuisse ex ipsa de rebus physicis placitorum comparatione satis superque apparet. Discrepantias autem notaverim hasce notissimas: declinationem atomorum Democrito ignotam (Aristot. de coelo III, 2) ab Epicuro constitutam (Lucret. de rer. nat. II, 216 seqq. Cic. de nat. deor. I, 25, 69; de finib. I, 6, 19 al.), atque sensus veritatis κριτήρια a Democrito negata (Sext. Empir. adv. math. VII, 135 seqq.), sed ab Epicuro probata (Diog. Laert. X,

---

[1]) Vid. Gomperz. in „Zeitschrift für die österr. Gymnas.“ XVI pag. 825.

31 seqq.). Cf. opinionis Democriteae, singulas animae partes singulis corporis partibus esse conjunctas, refutationem Lucret. III, 371 seqq. Ab adversariis de illo in physicis cum Democrito concentu, ut videtur, asperius appellati, Epicurei summo studio discrepantias, quae iis cum philosopho Abderita intercedebant, exposuerunt. Atque ipse magister adversus Democritum libros edidit, si quidem verba Philodemi περὶ παῤῥης. C. P. V, 2 fragm. 20 recte sic leguntur: ὡ(ς) ἐν .. τοῖς (πρ)ὸς Δημόκρ(ι)τον ἵστα(τα)ι διὰ τέλους ὁ Ἐπίκουρος. Cf. Metrodor. fragm. num. XXXII et annot.

16) Πρὸς Τιμοκράτην.

Liber a Diogene Laertio X, 24 commemoratus de re eadem scriptus erat atque

17) Τιμοκράτης.

Hoc opus laudat Diogenes X, 136, cujus verba omnino haec sunt: Ὁμοίως δὲ καὶ (paulo ante scriptor libros complures citavit, in quibus Epicurum ait voluptatem et animi et corporis statuisse) Διογένης ἐν τῇ ἑπτακαιδεκάτῃ τῶν ἐπιλέκτων καὶ Μητρόδωρος ἐν τῷ Τιμοκράτει λέγουσιν οὕτως· νοουμένης δ' ἡδονῆς τῆς τε κατὰ κίνησιν καὶ τῆς καταστηματικῆς.

Etsi ea, quae hic legimus, verba: νοουμένης — καταστηματικῆς directa oratione Diogenem induxisse Meibomius et Huebnerus recte existimant, utri, quaeso, tribuantur? De rebus Timocrateis supra disserui.

18) Πρὸς Τίμαρχον.

Huc spectat Plutarchus adv. Colot. 1117 B: ἀλλ' ὅμως ὁ μὲν Μητρόδωρος τὸν Τίμαρχον παρακαλῶν φησι κτλ. Vid. Metrod. fragm. num. XIV. E voce παρακαλῶν non minus, quam e numeris πληθυντικοῖς in ipso fragmento usurpatis: ποιήσωμεν, καταδύντες, ἀπαλλαγέντες, perspicue cognoscimus, Timarchum ab Epicuri schola non ita alienum fuisse. Quasi molli brachio videtur objurgari ut in nimiam rerum Epicurearum incuriam delapsus. Sine dubio idem Timarchus est atque ille νεανίσκος formosus et Epicuri aemulus Κηφισιᾶθεν oriundus, quem Alciphron II, 2 inducit Leontii amatorem.

19) Πρὸς Μενέστρατον.

Affert, ut mihi quidem videtur, hunc librum Clemens Alexandrinus strom. V, 614: Μέμνησο, Μενέστρατε, διότι θνητὸς φὺς κτλ. Vid. Metrod. fragm. num. III, unde Epicurum Menestratum satis intelligimus eadem, ut videtur, ratione atque Timarchus a schola alienatum esse.

20) Περὶ τῆς Ἐπικούρου ἀῤῥωστίας.

Hunc librum a Diogene Laertio X, 24 commemoratum Metrodorus dignitatis magistri, opinor, defendendae causa adversus eos conscripsit, qui affectam ejus valetudinem pessimam perhibere studebant. Ipsa enim mala, quibus philosophus vexabatur, morbi scilicet vesicae ac viscerum (στραγγουρία καὶ δυσεντερικὰ πάθη secundum Diog. Laert. X, 15. 22. et Sen. epist. LXVI al.), adversariis ansam dabant commentorum, quibus prae ceteris Stoicos excelluisse Cicero ad Gallum (epist. ad famil. VII, 26) ita scribit: „quorum alterum morbum edacitatis putant, alterum etiam turpioris intemperantiae“. Quod genus morborum commode sibi oblatum duxit Plutarchus, Epicuro is quidem amicissimus, unde ad ratiocinandum de corpore hominis ex animo, et vice versa, sese sagacissimum praeberet. Vid. non posse suav. viv. 1089. Omnium vero longe disertissimi Aeliani de providentia librum exscripsit Suidas v. Ἐπίκουρος (ubi vid. Bernhardyi annot.).

21) Ἐπιστολαί.

a) Epistulae ad Timocratem fratrem secundum Athenaeum VII, 280 A; XII, 546 F et Plutarchum non posse suav. viv. 1098 C. D. (Vid. Metrodor. fragmm. num. VI. XIII. XVII.)

b) Epistulae ad sororem secundum Senecam epist. XCIX. (Vid. Metrodor. fragm. num. V). Quae hoc loco laudatur epistularum prima, ea sine dubio eadem est atque epist. XCVIII citata: „Metrodorus — in ea epistula, qua sororem amisso optimae indolis filio alloquitur“. (Vid. Metrodor. fragm. num. XXVIII.)

c) Epistula incerta, cujus mentionem facit Seneca epist. LXXIX: „Hoc Metrodorus quoque in quadam epistula confitetur“. (Vid. Metrodor. fragm. num. XXX.)

Pars II.

Antequam ad ipsas accedam operum Metrodori reliquias, certis quidem fragmentis necesse videtur pauca praemitti de iis locis, qui tum aliorum sunt Metrodororum, tum specie quadam probabilitatis Epicureo attribui queunt. Omittam tamen locos vel diserte vel certis indiciis cujusvis generis alios Metrodoros prae se ferentes scriptores, veluti fragmenta, quae exstant apud Solinum, Lydum, Scholiastas ad Virgilium, Lycophronem, alibi.

Prae ceteris placita de physicis memorata velim Metrodori nomine instructa apud Pseudo-Plutarchum de placc. philoss. (Pseudo-Galen. de philos. histor., Euseb. praep. evang.) et Stobaeum eclogg. physs. Quorum fragmentorum plerisque solum nomen Metrodori impositum est; quattuor vero exstant nota pleniore insignita haecce:

1) Stob. l. c. I, 10, 14: Μητρόδωρος, Θεοκρίτου, Χῖος.
2) Plutarch l. c. II, 15. Galen. l. c. 13. Euseb. l. c. XV, 846 D: Ἀναξίμανδρος, Μητρόδωρος ὁ Χῖος, Κράτης.
3) Stob. l. c. I, 22, 3. Galen. l. c. 7: Μητρόδωρος ὁ καθηγητὴς Ἐπικούρου.

Postrema verba ὁ καθ. Ἐπ. alium designare nequeunt nisi Chium, modo alibi quidem inusitato, minime tamen inepto. Desunt haec verba apud Plutarch. l. c. I, 5, 5 et Euseb. l. c. 842 A, par placitum afferentes. Ceterum non est, quod vocem καθηγητής mendo corruptam putemus (cf. Zeller. in libro: Geschichte der Philos. d. Griech. ed. II; tom. I pag. 662 not.).

4) Plutarch. l. c. II, 1 (cf. Cyrill. c. Julian. II, pag. 46. Opp. tom. VI ed. Aubert. Lutet. 1638): Δημόκριτος καὶ Ἐπίκουρος καὶ ὁ τούτου μαθητὴς Μητρόδωρος ἀπείρους κόσμους ἐν τῷ ἀπείρῳ καὶ κατὰ πᾶσαν περίστασιν. Quibus verbis Metrodorus Epicureus dilucide denotatur, idemque dictum a Galeno l. c. 11 hoc modo affertur: Δ. καὶ Ἐ. καὶ ὁ τούτου καθηγητὴς Λεύκιππος ἀπείρους κόσμ. ἐν τ. ἀπ. κενῷ.

Nusqum alibi Leucippus vocatur καθηγητής Epicuri. Ecquid vero de lectione genuina contendamus? Una enim altera nihilo probabilior. Reliquorum autem placitorum facile praetermittes auctorem Epicureum, si haec tantummodo cognoveris:

a) Ubicunque Metrodorus una cum Epicuro laudatur, huic antecedit, plerumque Anaxagora, Parmenide, Democrito, aliisque, qui multo ante Epicurum floruerunt, philosophis circumdatus. (Cf. Schol. ad Arat. 940.)

b) In universum dumtaxat philosophi citantur, quibus maxime rationum declaratur progressio cum omnino philosophandi, tum imprimis de physicis; nonnunquam modo sectae laudantur Platonicorum, Stoicorum, Pythagoreorum.

c) Ipsa Metrodori placita, fere omnia ab Epicuri una laudatis nonnihil discedentia, singularem in physicis ostendunt mentem. Adde, quod plane in contrariam abit sententiam Metrodorus inter Democritum et Protagoram illatus apud Joannem Damascenum in Florilegio (vid. Stob. Flor. ed. Meinek. tom. IV pag. 147 seqq.), quippe cui ψεύδεῖς εἶναι τὰς αἰσθήσεις judicanti paullo post adjungatur Epicurus (ibid. pag. 234) πᾶσαν αἴσθησιν — ἀληθῆ existimans. Cum his tamen quisque confusionis cognoscendae cupidus comparet Euseb. l. c. XIV, 766 A. B: τοὺς κατὰ Μητρόδωρον καὶ Πρωταγόραν μόναις δεῖν φάσκοντας ταῖς τοῦ σώματος πιστεύειν αἰσθήσεσι. Ceterum utri illa tribuenda sint placita, Chione Metrodoro, Democriti auditori, an Lampsaceno, Anaxagorae discipulo, aut quae utrique, equidem dubito, num unquam certis argumentis possit comprobari, neque hujus quaestionis disceptandae hic est locus idoneus.

Jam Athenaeus IX, 391 D scribit haecce: καὶ Μητρόδωρος δ' ἐν τῷ περὶ συνηθείας ἀντορχουμένους φησὶν ἁλίσκεσθαι τοὺς σκῶπας. Quae Schweighaeuserus (in indice) verisimile habet ad Metrodorum Epicureum pertinere, sed hujus opinionis causam addit nullam. Menagius vero, qui (ad Diog. Laert. VII, 198) e libri Chrysippei inscriptione κατὰ συνηθείας πρὸς Μητρόδωρον (cf. Plutarch. de Stoic. repugn. 1056 C) Chrysippum

illum Metrodorum ab Athenaeo laudatum oppugnasse conjecit, locum adjiciens Schol. ad Nicandr. Ther. 613: καὶ Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ συνηθείας ἀρχαιότατον εἶναί φησι φυτὸν τὴν μυρίκην καὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἐν τῇ τοῦ Διὸς πομπῇ ἐστεφανῶσθαι μυρίκῃ, καὶ παρὰ Μήδοις τοὺς Μάγους, licet, sicut Jonsius, Chrysippi adversarium multis libris impugnatum (vid. Diog. Laert. VII, 189. 191. 199) Metrodorum fuisse Academicum (cf. Augustin. c. Academ. III, 18) vel Theorematicum (vid. Diog. Laert. II, 113. V, 144) recte videret, valde falsus fuit. Nimirum invenimus apud Strabon. geogr. XVI, 775: Ἃ δὲ Σκήψιος λέγει Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ συνηθείας βιβλίῳ μύθοις ἔοικε καὶ οὐ φροντιστέον αὐτῶν (cf. ibid. pag. 609). Huc etiam accedit, quod argumentis locorum inter se comparatorum satis comprobatur, Athenaeum, Scholiastam ad Nicandrum et Strabonem eundem librum laudasse. Sed jam ad genuinas Epicurei reliquias transeamus.

A. Fragmentum physicum.

I.

Philodem. de pietate pag. 138 ed. Gomperz. (C. A. II pag. 123).

Καὶ ὁ Μητρόδωρος δὲ τὴν τοιαύτην ποιεῖ(ται) διαστολὴν (ἐν τῷ περὶ μετα(βολῆς) καί φησιν C.... [εἶναι ? Gomperz.], (σύν)κρισιν τῶν (κατ' ἀ)ριθμὸν οὐ μόν(ον ἄφ)θαρτον ἀλλὰ (καὶ θεί)αν [? Gomperz.] ὀρθῶς (μέ)ν[τοι? οὖν?] καὶ φιλαλήθως —

Restitutiones vocum εἶναι et καὶ θείαν elegantes sunt, quamquam dubiae. At bene convenit hoc cum loco superior pag. 137, quem necesse est ascribam cum Gomperzii supplementis: καὶ Μητρό(δωρος) τυγχάνει ......THCEⲰCTⲰI (οὐκ ἐν) [?] τῷ περὶ θε(ῶν οὐ)δ' ἐν τῷ πε(ρὶ μετα)βολῆς τὸ μὴ (μετέχον) τοῦ κενοῦ (ἄφθαρτ)ον ἅπασαν (δὲ σύ)νκρισιν φθαρ(τήν)· Sic reparati loci hoc fere sonant: Minime Metrodorus in libris, quos conscripsit de diis et de mutatione, eo processit, ut solum vacui expers, scilicet τὸ μεστόν, ipsas atomos, corrumpi non posse, omnem vero σύνκρισιν (sic!), corporum

concretiones, corrumpi arbitraretur. Immo corrumpi negavit concretionem eorum, quae ad numerum concrevissent, σύνκρισιν τῶν κατ' ἀριθμόν, quam non modo corruptioni non obnoxiam, verum etiam divinam existimavit. Quae distinctio quid tandem sibi voluerit, equidem ignoro, nisi forte Metrodorus hoc senserit: alterum concretionum genus revera constare in qualitatum (ποιότητες) mixtura atque esse φθαρτόν, quippe cum omnis ποιότης immutetur. Alterum genus, conjunctio atomorum qualitatibus non mixtis, καὶ ἀριθμόν solum facta, vocatur σύνκρισις τῶν κατ' ἀριθμόν (i. q. ἡ κατ' ἀριθμὸν σύνκρισις pag. 118?). Sed manum de tabula. Quemadmodum Metrodorus hac distinctione Epicuri sententias de deorum corporibus ἀφθάρτοις defenderit, nobis nequaquam liquet. Cf. Metrod. scriptt. num. 4 et Diog. Laert. X, 39 seqq. 54 seqq.

B. Fragmenta ethica.

II.

Sext. Empir. adv. math. I, 61.

Αὐτὴ μὲν γὰρ ἐμπειρία τριβή ἐστι καὶ ἐργάτις, ἄτεχνός τε καὶ ἄλογος, ἐν ψιλῇ παρατηρήσει καὶ συγγυμνασίᾳ κειμένη — ἀφ' ἧσπερ ἐννοίας καὶ ὁ Μητρόδωρος ἔφη· μηδεμίαν ἄλλην πραγμάτων ἐμπειρίαν τὸ ἑαυτῆς τέλος συνορᾶν, ἢ φιλοσοφίαν, τοῦτ' ἔστι μηδεμίαν τέχνην.

Fabricius ad h. l. in scholiis ad Dionysium Thracem idem ait reperiri fragmentum. Quae scholia tunc inedita (primus ed. Villoison. Anecd. II) secundum Bekker. Anecd. gr. II pag. 731 sunt haecce: "Ετεροι δὲ οὕτω φασὶν ὅτι τὸ τῆς ἐμπειρίας ὄνομα τέτακται καὶ ἐπί τῆς τέχνης ἀδιαφόρως [ὑπὸ] τοῦ βίου, τῶν αὐτῶν ἐμπειρίων τε καὶ τεχνικῶν ὀνομαζομένων, ὥς φησί που καὶ Μητρόδωρος· μηδεμίαν ἄλλην πραγμάτων ἐμπειρίαν τὸ ἑαυτῆς τέλος συνορᾶν ἢ φιλοσοφίαν, τοῦτ' ἔστι μηδεμίαν τέχνην.

Scholiasta hausit e Sexto (vid. Bekker. l. c.), cujus verba explicantia τοῦτ' ἔστι κτλ. a Metrodoro addita putavit. Sententia per se perspicua auctorem Epicureum satis prodit: Ex-

perientia in solo fortuitorum usu fortuito versans consilio caret atque industria. Arte ex rebus elicit experientiam eique certum proponit finem philosophia, quae, dum ipsa est experientia, omnem eo studet rerum experientiam conferre, ut vita quam maxima repleatur jucunditate. Quare definiri potest philosophia experientia arte instituta. Cf. Diog. Laert. X, 122. 144 seqq. et Sext. Empir. adv. math. XI, 169, cujus verba haec sunt: Ἐπίκουρος ἔλεγε τὴν φιλοσοφίαν ἐνέργειαν εἶναι λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν.

III.

Clem. Alexandr. strom. V, 614:

Ἀφικόμενος οὖν ἐπὶ τὴν ἀληθῆ μάθησιν ὁ βουλόμενος ἀκουέτω μὲν Παρμενίδου τοῦ Ἐλεάτου — Μητροδώρου τε καίτοι Ἐπικουρείου γενομένου ἐνθέως ταῦτά γε εἰρηκότος·

Μέμνησο, Μενέστρατε, διότι θνητὸς φὺς καὶ λαβὼν βίον ὡρισμένον, ἀναβὰς τῇ ψυχῇ, ἕως ἐπὶ τὸν αἰῶνα καὶ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων κατεῖδες καὶ „τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα“.

Nexus verborum hic est: διότι ἀναβὰς τ. ψ. ἕως κτέ., sententia θνητὸς φὺς — ὡρισμένον interjecta. Quod bene intellexit Potterus, aliis (e. g. Sylburg.) de verborum conformatione secus judicantibus. Offendat quispiam in voce διότι post μιμνήσκειν illata una cum participio ἀναβάς. Sed statuenda est duarum locutionum confusio, quali usum esse videmus Thucyd. IV, 37: γνοὺς — ὅτι — διαφθαρησομένους pro ὅτι διαφθαρήσονται αὐτοί (cf. Popp. ad h. l. et ejusd. comment. de elocutione Thucyd. pag. 198) et Platon. Gorg. 481 D: αἰσθάνομαί σου ὅτι — οὐ δυναμένου ἀντιλέγειν. Quae sequuntur, simplici nexus ratione liquent. Praeterea verba τά τ' ἐσσόμενα κτέ. sunt hemistichium Hom. Il. α, 79, ubi de Calchante vate illud legitur:

ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Nec fugiet Clementis verba perlustrantem, eum vocabulo καίτοι significatum voluisse, dictum, quod laudet, Metrodori a consueto Epicureorum more multum abhorrere, immo ἐνθέως

prolatum esse. Quare num vir doctissimus veram Epicurei intellexerit opinionem, addubitem. Videtur potius illa verba accepisse de vita post mortem futura si non inscite, certe consulto. Cf. Gentian. Hervetum ad h. l.: „admonens Menestratum, ut cum sit mortalis — anima ascendat et contempletur, donec videat seculum seu aevum, id est aeternitatem“ cet. Non καίτοι, sed quoniam fuit Epicureus, haec dixit verba Metrodorus, quorum sententia non ita judicanda est elata, ut ea philosophus ἐνθέως fecisse videatur. Etiam Pythocli praecipit Epicurus apud Diogenem X, 116: μάλιστα δὲ σεαυτῷ ἀποδώσεις τὴν τῶν ἀρχῶν καὶ ἀπειρίας καὶ τῶν συγγενῶν τούτοις θεωρίαν. Perscrutandae rerum infinitatis finis in eo est positus, ut nosmet ipsi expediamus ex fabularum metu, quibus vitam post obitum, quam dicunt, futuram homines inepti compleverunt. Neque enim ex rebus terminatis homines angore cruciati voluptatem perfectam capere possunt. Cf. Diog. Laert. X, 142. 143. Menestratus vero, quamvis animo ascendisset usque ad res rerumque causas accuratius cognitas, neque habuisset eis cognitis, quod metueret, denuo futurorum timore videtur fuisse obstrictus. Cf. Metrod. scriptt. num. 19.

IV.

Plutarch. non posse suav. viv. 1091 A.

Ὥς φησι Μητρόδωρος ἐν τοῖς πρὸς τοὺς σοφιστάς· ὥστε τοῦτο αὐτὸ ἀγαθόν ἐστι τὸ φυγεῖν τὸ κακόν· ἔνθα γὰρ τεθήσεται τὸ ἀγαθὸν, οὐκ ἔστιν, ὅταν μηθὲν ἔτι ὑπεξίῃ μήτ' ἀλγεινὸν, μήτε λυπηρόν.

Optime Metrodori fragmentum verbis Epicuri illustratur a Plutarcho deinceps allatis: ὅμοια δὲ καὶ τὰ Ἐπικούρου, λέγοντος, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ φύσιν ἐξ αὐτῆς τῆς φυγῆς τοῦ κακοῦ καὶ τῆς μνήμης καὶ ἐπιλογίσεως καὶ χάριτος, ὅτι τοῦτο συμβέβηκεν αὐτῷ γεννᾶσθαι· „τὸ γὰρ ποιοῦν“, φησιν, „ἀνυπέρβλητον γῆθος τὸ παρ' αὐτὸ πεφυγμένον μέγα κακόν· καὶ αὕτη φύσις ἀγαθοῦ, ἄν τις ὀρθῶς ἐπιβάλλῃ, ἔπειτα σταθῇ καὶ μὴ κενῶς περιπάτῃ περὶ ἀγαθοῦ θρυλῶν“. Si quis, miratus, quod ex hoc Metrodori dicto τὸ ἀλγεινόν et τὸ λυπηρόν necessarium

videatur ad bonum efficiendum, hoc placitum cum illo Epicuri apud Diogenem X, 139: ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις (cf. supr. ὑπεξίῃ!), pugnare dixerit, ille duplex negligit genus voluptatis bonum efficientis (cf. Epicur.: αὕτη ἡ φύσις — ὀρθῶς ἐπιβάλλῃ ἔπειτα σταθῇ), namque hic agitur de voluptate in motu, qua continentur χαρά et εὐφροσύνη. Cessante vero causa cessat effectus: deficiente igitur molestia atque tristitia deficit gaudium, quod ex istis evitatis evadit. Unde, quo pacto Metrodorus bonum in fuga mali posuerit, facile patescit. Perperam denique Cicero summam voluptatem Epicurum ipsam mali amotionem censuisse opinatur de finib. I, 11. II, 3. Cf. Nemesian. de nat. hom. 18 et Metrod. scriptt. num. 14.

V.

Senec. epist. XCIX, 22.

„Illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus, esse aliquam cognatam tristitiae voluptatem: hanc esse captandam in ejusmodi tempore. Ipsa Metrodori verba subscripsi:

Μητροδώρου ἐπιστολ. α΄ τῶν πρὸς τὴν ἀδελφήν· ἔστιν γάρ τις ἡδονὴ τῇ λύπῃ συγγενής· θηρευτέον ταύτην κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν“.

Cf. § 25: „Est aliqua, inquit, voluptas cognata tristitiae“.

Apparatum criticum ad h. l. magnopere vexatum Fickertus composuit. In aliis enim codd. verba graeca omnino non exstant, in aliis partim litterae inanes reperiuntur, quas in verba integra commutare Gruterus, Scaligerus, Dalechampius, Gronovius, alii frustra conati sunt, partim saltem verba κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν satis bene servata sunt. Clariorem tandem lucem huic loco attulerunt codd. Bamberg. et Argentor. a, et ii quidem antiquissimi. In quibus haec legimus ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ЄΠΙCΤΟΛΑΩΝ ΤΡΟC ΤΗΝ ΑΔЄΛΦΗΝ ЄCΤΙΝ ΓΑΡΤΙΟCΗΔΟΝΗ ΑΙΚ ΥΤΤΗCΟ ΥΤΤЄΙΝ ΚΑΤΑ ΤΟΥΤΟΝ ΤΟΝ ΚΑΤΡΟΝ. Mirum sane, quod verba Μητροδώρου — ἀδελφήν exhibentur Graece. At fortasse Seneca dictum a Graeco quodam scriptore citatum descripsit. Sed ad rem nihil interest. Diu vero multumque lectio

ἔϲτιν γ' ἄρτιοϲ codd. optimis probata mihi arrisit, praetuli tamen γάρ τιϲ cum Schweighaeusero, Fickerto aliisque Senecae secutus interpretationem. Quae restant enucleanda ΑΙΚ ΥΓΓΗϹΟ ΥΤΤΕΙΝ, iis verba comprehenduntur a Seneca obliqua oratione allata: cognatam tristitiae, hanc esse captandam. (Cf. directam orationem § 25). Variarum conjecturarum mihi pessima esse videtur Schweighaeuseri, ante ἡδονή lacunam statuentis, verbis λύπῃ ϲυγγενήϲ replendam. Quod miror Fickertum approbasse, praesertim, cum ea, quae inter ἡδονή et κατά leguntur, duobus verbis ἣν κυνηγετεῖν exprimere velit. Mihi locum resarcienti ob oculos versabantur litterae reliquae, quas potissimum secutus neutiquam opinor, me mera refinxisse commenta. Qua usus sum reficiendi ratione, eam propemodum ipsae litterae postulabant, id quod maxime patebit, si restituta subscripsero restituendis:

ΑΙΚ ΥΓΓ ΗϹΟ ΥΤ ΤΕΙΝ
ΤΗΙΛΥΠΗ(Ι)ϹΥΓΓΕΝΗϹΘΗΡΕΥΤΕΟΝ ΤΑΥΤΗΝ

Unde elucet, similis aequalesque litteras in unum contractas esse: ΥΠΗϹ = ΥΓΓ—ΗϹ, ΕΥΤΕΟΝ = ΑΥΤΗΝ, oculis librariorum inscitia turbatis. Quod spectat ad θηρευτέον, Dalechampius correxit ΖΗΤΗΤΕΗ, quod, quamvis multis placuerit, propter minorem litterarum concentum amplecti nolui. Praeterea vi in verbo captandi posita impersonaliter -έον scribendum putavi. Imagine haud inusitata θηρεύειν idem valet, quod venari seu quaerere. Cf. Epicur. fragmm. de nat. in C. P. X col. 27: θηρεύειν τὴν ἀρχήν. Isocrat. ad Demon. 5: τὰϲ ἡδονὰϲ θηρεύειν, cujus generis plura vide apud Boissonad. ad Philostr. Heroic. pag. 608 et C. G. Jacob. quaestt. Lucian. cap. I.

Declarat hoc enunciato Metrodorus, voluptatem in ipsa tristitia latentem, eique adeo cognatam reperiri. Nulla potest cogitari tristitia, nisi cui aliquod voluptatis momentum sit innatum. Ergo illam captare voluptatem non est idem atque aliunde quaerere tristitiae remedium, si forte minuatur vel compensetur cum laetitia dolor. Cf. dictum Epicuri ap. Diog. Laert. X, 22 (Cic. de finib. II, 30): ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶϲι

τούτοις (doloribus) τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. Nec Metrodorus idem sensit ac Torquatus ap. Cic. de finib. I, 10, 32: „Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quod dolor sit, amet — sed quia nonnunquam ejusmodi tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem“ cett. aut Epicurus apud Diogenem X, 129: καθάπερ καὶ ἀλγηδὼν πᾶσα κακή, οὐ πᾶσα δ' ἀεὶ φευκτὴ πεφυκυῖα et paullo ante: καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ πολὺν χρόνον ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας. Sed potius, qua ratione Metrodorus a magistro digressus sit, ex locis laudatis satis apparet. Hicce enim et nonnullos dolores propter insequentes majores voluptates perpetiendos statuit et praesentes dolores cum voluptate compensari voluit ex memoria praeteritarum simul cum spe futurarum repetita. Metrodorus vero ex ipsius tristitiae quasi loculis absconditis depromit voluptatem, eam maxime quidem exiguam, attamen, quae aliquid afferat solatii, idoneam. Quo quis est philosophia eruditior, eo facilius voluptatem tristitiae cujusvis generis innatam reperit. Tali modo fragmentum recte intelligi, ex ipsa Senecae refutatione elucet: „Quid enim turpius, quam captare in ipso luctu voluptatem?“ — „Utrum est — inhumanius, non sentire amisso amico dolorem, an voluptatem in ipso dolore aucupari?“ — „Utrum honestius dolor ab animo submovetur, an voluptas ad dolorem quoque admittitur? Admittitur dico? captatur, et quidem ex ipso“. cett.

VI.

Plutarch. non posse suav. viv. 1098 D.

Καὶ πάλιν πού φησιν ἐν τοῖς αὐτοῖς γράμμασιν — καὶ „περὶ γαστέρα· γὰρ, ὦ φυσιολόγε Τιμόκρατες, τὸ ἀγαθόν“.

Φυσιολόγος est, qui rerum naturam exquirit. Vox primum ab Aristotele usurpata de anim. III, 2; metaph. I, 5; de gen. anim. I, 1. Ceterum Metrodorum in modum magistri usurpasse ἱερὰ ἀνακραυγάσματα (Cleom. theor. cycl. II, 1 fin. Diog.

Laert. X, 5 cum Casaub. not.) et scribit auctor dialogi de claris oratoribus cap. 31 § 9 et his fragmentis confirmatur.

VII.

Athen. deipnos. VII, 280 A. XII, 546 F.

Καὶ Μητρόδωρος ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς φησι „Περὶ γαστέρα, ὦ φυσιολόγε Τιμόκρατες, περὶ γαστέρα ὁ κατὰ φύσιν βαδίζων λόγος τὴν ἅπασιν ἔχει σπουδήν“.

VIII.

Cic. de nat. deor. I, 40, 113.

Accusat enim Timocratem fratrem suum Metrodorus, quod dubitet, omnia, quae ad beatam vitam pertineant, ventre metiri, neque id semel dicit, sed saepius.

Cfr. quae jam supra exposuimus de causa contentionis, quae Metrodoro cum Timocrate intercessit. Tria, quae modo attulimus, fragmenta aperte inter se cohaerent. Non est bonum, nisi cui venter sit substratus. Corporis motiones voluptariae omnis generis sunt boni fundamentum, quae quid conferant ad beatitudinem, cogitari nequit nisi suavi interposita corporis affectione. Quare non legimus in corpore, sed circa corpus bonum, referatur igitur quodlibet bonum ad corpus, sicuti scribit Epicurus ap. Athen. deipnos. VII, 280 A; XII, 546 E: ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονή κτἑ. Cf. fragmm. num. IX—XII cum annott. Idem ll. cc. et apud Diog. Laert. X, 6: οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τ' ἀγαθόν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονάς, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς δι' ἀφροδισίων, (ἀφαιρῶν δὲ) καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων, (ἀφαιρῶν δὲ) καὶ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις.

Non sentit magister, tales corporis voluptates esse solas, ut Cicero interpretatur de nat. deor. I, 40, 111; de finib. II, 3, 7; Tuscull. Dispp. III, 18, 41. 42, sed potius se ignorare fatetur bonum, nisi ex ejusmodi, quales afferat, corporis affectionibus oriundum idque cum corpore semper aliqua ratione cohaerens. Quas motiones voluptarias si quis abstulisset vel detraxisset, nos non habituros esse causam nascentis voluptatis

bonumque vocem fore prorsus inanem. Vid. Cic. Tuscull. Dispp. III, 18, 42.

Per corporis ansam voluptas e rebus externis excipitur, in corpore causa ipsa nascitur voluptas. Epicurus et Metrodorus voluptatem ipsi corpori innatam ea majorem duxerunt, quam per corpus e rebus capiamus, unde dissensio cum Timocrate exstitit. Ergo ratio secundum naturae normam boni originem accuratius exploratura non potest non e corporis affectionibus principium sumere (ὁ κατὰ φύσιν βαδίζων λόγος κτλ.). Iterum sequitur, ut, quo validior corporis sit constitutio, eo plus polleant sensuum motiones ipsi corpori innatae (quas quidem in fragmentis allatis praecipue proponit neglectis aliis): ventre metitur bonum. Sed jam ad fragmenta alia pergamus.

IX.

Cic. de finib. II, 28, 92.

„Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: cum corpus bene constitutum sit et sit exploratum, ita futurum".

Eundem Metrodori locum denotat de off. III, 33, 117:

„Vita omnis beata corporis firma constitutione ejusque constitutionis spe explorata, ut a Metrodoro scriptum est, continetur". — Cf. Tuscull. Dispp. II, 6, 17; V, 9, 27 all.

X.

Clem. Alex. strom. II, 417 C.

Ὁ δὲ Μητρόδωρος ἐν τῷ Περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων Ἀγαθόν, φησι, ψυχῆς τί ἄλλο, ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα;

XI.

Plutarch. non posse suav. viv. 1087 D.

Οἴονται δὲ περὶ γαστέρα ἀγαθὸν εἶναι καὶ τοὺς ἄλλους πόρους τῆς σαρκὸς ἅπαντας, δι' ὧν ἡδονὴ καὶ μὴ ἀλγηδὼν εἰσέρχεται καὶ πάντα τὰ καλὰ καὶ σοφὰ ἐξευρήματα τῆς περὶ

γαστέρα ἡδονῆς ἕνεκα γεγονέναι καὶ τῆς ὑπὲρ ταύτης ἐλπίδος ἀγαθῆς, ὡς ὁ σοφὸς εἴρηκε Μητρόδωρος.

XII.

Plutarch. adv. Colot. 1125 B.

Καθάπερ οἴεται δεῖν ὁ σοφὸς Μητρόδωρος λέγων· τὰ καλὰ πάντα καὶ σοφὰ καὶ περιττὰ τῆς ψυχῆς ἐξευρήματα τῆς κατὰ σάρκα ἡδονῆς ἕνεκα καὶ τῆς ἐλπίδος τῆς ὑπὲρ ταύτης συνεστάναι καὶ πᾶν εἶναι κενὸν ἔργον, ὃ μὴ εἰς τοῦτο κατατείνει.

Sicut magister ventris voluptatem ἀρχὴν καὶ ῥίζαν cujusque boni judicat, ad quam τὰ σοφὰ καὶ περιττά sese referant (cf. Athen. VII, 280 A = XII, 546 E et Cic. de finib. II, 30, 98) et πᾶσαν χαρὰν τῆς ψυχῆς οἴεται ἐπὶ πρωτοπαθούσῃ τῇ σαρκὶ γενέσθαι (Clem. Alex. II, 417), sic Metrodorus quoque ex suavibus corporis affectionibus (junguntur γαστήρ et ἄλλοι πόροι τῆς σαρκός fragm. num. XI) nasci scribit animi bonum, inventiones, laetitiam; quin idem ait esse animi bonum atque bonam corporis constitutionem fragm. num. X. Quasi fundamentum ὑπερείδεται τὸ ἡδόμενον τῆς σαρκὸς τῷ χαίροντι τῆς ψυχῆς (Epicur. ap. Plutarch. non posse suav. viv. 1089). Huc accedit, quod Metrodorus non solum praesentem bonum corporis statum fontem existimat voluptatis animi, sed et futurum, spe, quo certiori, eo majorem afferente laetitiam, assequendum: τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα, ἐλπίδα ἀγαθήν. Revocat Epicurus beatitudinis studiosos etiam ad voluptatum praeteritarum recordationem. Cf. Cic. de finib. I, 17, 57: „sed ut iis bonis erigimur, quae exspectamus, sic laetamur iis, quae recordamur“. Res satis patet multisque locis haec sententia comprobatur. Minus vero liquet, quibusnam rationibus variae animi voluptates ad corporis voluptates referantur vel quonam pacto ex corporis affectionibus voluptariis prodeant animi gaudia, qualesque denique affectiones mediae sint inter singulas animi voluptates et corporis. (Eadem est quaestio de dolore, id quod per se manifestum.) Tantum recordationem. praeteritarum spemque futurarum corporis vo-

luptatum causas esse nascentium animi affectionum cujusvis generis parum est verisimile. Cicero hac de quaestione nihil scribit, immo de recordatione modo et spe disputat atque ex Epicuro quaerit, quid ad corpus referat ex commendatione liberorum Metrodori, per se egregio officio. Vid. de finib. II, 30; I, 17 all. Sine dubio rem non satis habuit cognitam; quare, numquid haec fragmenta cum Epicuri sententiis differant, decernere non licet. Inter Epicureos illa: εὐσταθὲς κατάστημα, εὐστάθεια σαρκός, ἐλπὶς ἀγαθή, ἔλπισμα πιστόν similiaque dabantur quasi tesserae. Quamobrem εὐστάθειαν σαρκός Plutarch. san. praec. 135 C vocat ὑμνουμένην, quippe qui in libris, quos conscripsit adversus Epicureos, sexcenties illa usurpet vocabula eadem atque Epicurei significatione. Cf. Clem. Alex. l. c. 412. Gell. N. A. IX, 5. Vox εὐστάθεια una cum nominibus cognatis εὐσταθής et εὐσταθεῖν ante Epicurum apud poetas tantum proprie de rebus bene stabilitis dicta invenitur, sed inde ab Epicuro usu metaphorico frequentatur. Vid. Phryn. ibique Lobeck. pag. 282 seq. Thom. Mag. pag. 301. Cleomed. cycl. theor. 2 ed. Bak. pag. 107; 427 seqq. Ἔλπισμα nomen admodum rarum hic primum, quod sciam, adhibitum ac fortasse ab Epicuro fictum est.

XIII.

Plutarch. non posse suav. viv. 1098 C.

Καὶ πάλιν πού φησιν ἐν αὐτοῖς τοῖς γράμμασιν· ὡς καὶ ἐχάρην καὶ ἐθρασυνάμην, ὅτι ἔμαθον παρ' Ἐπικούρου ὀρθῶς γαστρὶ χαρίζεσθαι.

Antecedit fragm. num. XVII ex Metrodori ad fratrem epistulis depromptum.

XIV.

Plutarch. adv. Colot. 1117 B.

Ἀλλ' ὅμως ὁ μὲν Μητρόδωρος τὸν Τίμαρχον παρακαλῶν φησι· Ποιήσωμέν τι καλὸν ἐπὶ καλοῖς, μονονοὺ καταδύντες ταῖς ὁμοιοπαθείαις καὶ ἀπαλλαγέντες ἐκ τοῦ χαμαὶ βίου εἰς τὰ Ἐπικούρου ὡς ἀληθῶς θεόφαντα ὄργια.

Ridicula eademque auctorem clare prodens Epicuri adversarium lectio est κακὸν ἐπὶ κακοῖς (vid. Reisk. ad h. l.). De Timarcho cf. scriptt. num. 18. Vocabulum θεόφαντος videtur a Metrodoro compositum esse, certe nusquam alibi invenitur. Ὅμως spectat ad Epicuri sententiam modo antegressam: ἐγὼ δ' ἐφ' ἡδονὰς συνεχεῖς παρακαλῶ καὶ οὐκ ἐπ' ἀρετὰς κενὰς καὶ ματαίας ἢ ταραχώδεις ἐχούσας τῶν καρπῶν τὰς ἐλπίδας. Cui quanam ratione Plutarchus obstare putet dictum Metrodori, equidem non dispicio. Virtutes inanes eae sunt, in quibus nihil inest, quod ad corporis voluptatem pertineat. Metrodorus bonum omnibus bonis pulchrisque rebus praestans atque omnia continens Timarcho Epicuri rationem beatitudinis adipiscendae verbis sane quam tumidis commendat. Ὁμοιοπάθειαι similes sunt affectus atque Epicuri sectatorum, quorum princeps ipse Metrodorus Timarchum ad affectuum communionem revocat, utpote quae, quasi mysteria, vulgo profano sit incognita. Vulgus degit χαμαὶ βίον, res quaerit vanas sentitque humiliter (χαμαίζηλον Isocrat. epist. 10) [u]). Verbis ὄργια — ὡς ἀληθῶς θεόφαντα Epicureus homines ridet superstitionibus obnoxios; fortasse ipse, quem alloquitur, Timarchus ejusmodi se dederat religionibus. Cum voce ὄργια haud raro ampliorem significationem adsciscente collata velim neglectis aliis locis verba Marc. Anton. III, 7: ὄργια τῆς ἀρετῆς.

XV.

Stob. floril. 116, 42.

Μητρόδωρος·

Οὐ μακαριεῖς τὸν γέροντα καθ' ὅσον γηράσκων τελευτᾷ· ἀλλ' εἰ τοῖς ἀγαθοῖς συμπεπλήρωται· ἕνεκα γὰρ χρόνου πάντες ἐσμὲν ἄωροι.

Pro ἄωροι vulgo legebatur ἄδωροι, quod etiam Gesnerus

---

u) Cf. Platon. Euthyphr. 14 D: χαμαὶ πεσεῖται ὅ,τι ἂν εἴπῃς. Schol. ad h. l. Pindar. Nem. IX, 7: μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι· θεσπεσία δ' ἐπέων — ἀοιδά. Saepius apud scriptores recentiores, inter quos Vet. et Nov. Testam., τὸ χαμαί reperitur. Vid. Steph. Thes.

exhibet, sed ferri nequit. Perbelle Wyttenbachius correxit ἄωροι.

Cf. Epicur. apud Diog. Laert. X, 126: — οὕτω καὶ χρόνον οὐ τὸν μήκιστον, ἀλλὰ τὸν ἥδιστον καρπίζεται (ὁ σοφός). Lucret. de rer. nat. (ed. Munr.) III

938 Cur non, ut plenus vitae conviva, recedis?
959 seq. — — — mors ad caput adstitit ante,
quam satur ac plenus possis discedere rerum.
1004 seqq. atque explere bonis rebus satiareque nunquam
quod faciunt nobis annorum tempora, circum
cum redeunt fetusque ferunt variosque lepores,
nec tamen explemur vitai fructibus unquam.

Horat. Satt. I, 1, 118 seq. Philodem. de morte tab. I, fragm. 2 in C. P. IX: ὥστε πληςθῆναι τῶν ἀγαθῶν — νοῦν ἔχοντός ἐστιν ἀνθρώπου. Buecheler. Conjectan. critic. (Rhein. Mus. N. F. XV) pag. 293.

XVI.

Plutarch. non posse suav. viv. 1088 B.

Μητρόδωρος μὲν λέγων, ὅτι πολλάκις προσεπτύσαμεν ταῖς τοῦ σώματος ἡδοναῖς.

Apte haec illustrantur verbis Epicuri apud Stob. floril. 17, 34: Βρυάζω τῷ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ, ὕδατι καὶ ἄρτῳ χρώμενος καὶ προσπτύω ταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς, οὐ δι' αὐτάς, ἀλλὰ διὰ τὰ ἐξακολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ. Cf. eundem apud Diog. Laert. X, 129: — οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεθα, ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται.

XVII.

Plutarch. non posse suav. viv. 1098 C; adv. Colot. 1125 D.

(Priori loco antecedunt: — τὰ Μητροδώρου πρὸς τὸν ἀδελφὸν γράφοντος·)

Οὐδὲν (loco posteriori adduntur: οὖν ἔτι) δεῖ σώζειν τοὺς Ἕλληνας, οὐδ' ἐπὶ σοφίᾳ στεφάνων (adv. Colot. l. l. -ου Gen.

Sing.) παρ' αὐτῶν τυγχάνειν, ἀλλ' ἐσθίειν καὶ πίνειν οἶνον, ὦ Τιμόκρατες, ἀβλαβῶς τῇ γαστρὶ καὶ κεχαρισμένως·

Fragmentum, quod attinet alteram partem, inde ab ἀλλ' ἐσθίειν, ad superiora fragmenta num. VI — VIII spectans, propter partem priorem huc retuli, quae ad rempublicam non capessendam pertinet. Reliqua ad eandem quaestionem spectantia jam adjungam. Vid. notam fragm. num. XXI subjunctam.

XVIII.

Plutarch adv. Colot. 1127 B.

Ἃ δὲ Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ φιλοσοφίας ἐξορχούμενος πολιτείαν γέγραφεν, οὐκ ᾤμην δεῖν παρεῖναι· λέγει δὲ ὅτι τῶν σοφῶν τινες ὑπὸ δαψιλείας τύφου οὕτω καλῶς συνεῖδον τὸ ἔργον αὐτῆς, ὥστ' οἴχονται φερόμενοι πρὸς τὰς αὐτὰς Λυκούργῳ καὶ Σόλωνι ἐπιθυμίας κατὰ τοὺς περὶ βίων λόγους καὶ ἀρετῆς.

Reisk. συνεῖδον, Wyttenb. ἐνεῖδον.

XIX.

Plutarch. adv. Colot. 1127 C.

Καὶ λοιδορῶν ὁ Μητρόδωρος ἐπιλέγει τοῖς εἰρημένοις· Διὸ καὶ καλῶς ἔχει τὸν ἐλεύθερον ὡς ἀληθῶς γέλωτα γελάσαι ἐπί τε δὴ πᾶσιν ἀνθρώποις καὶ ἐπὶ τοῖς Λυκούργοις τούτοις καὶ Σόλωσιν.

Hoc fragmentum etiam apud Metrodorum nullis, ut videtur, verbis interjectis, excepit antecedens.

XX.

Plutarch. adv. Colot. 1125 C.

Ἀλλὰ τίνες εἰσὶν οἱ ταῦτα συγχέοντες καὶ καταλύοντες καὶ ἄρδην ἀναιροῦντες, οὐχ οἱ πολιτείας ἀφιστάντες αὐτοὺς καὶ τοὺς πλησιάζοντας; οὐχ οἱ τὸν τῆς ἀταραξίας στέφανον ἀσύμβλητον εἶναι ταῖς μεγάλαις ἡγεμονίαις λέγοντες; οὐχ οἱ τὸ βασιλεύειν ἁμαρτίαν καὶ διάπτωσιν ἀποφαίνοντες καὶ γράφοντες αὐταῖς λέξεσιν· λέγειν δεῖ πῶς [τις] ἄριστα τὸ τῆς φύσεως

τέλος συντηρήσει καὶ πῶς τις ἑκὼν εἶναι μὴ πρόσεισιν ἐξ ἀρχῆς ἐπὶ τὰς τῶν πληθῶν ἀρχάς.

Post hoc fragmentum Plutarchus dumtaxat verbis καὶ ἔτι ταῦτα πρὸς ἐκείνοις praemissis affert fragm. num. XVI, unde patescit, etiam fragmentum modo exscriptum (λέγειν δεῖ κτλ.) Metrodoro tribuendum esse. Γράφοντες, ἀποφαίνοντες, λέγοντες ceteraque participia numero plurali usurpata cunctos in universum significant Epicureos, quorum unum, ut videtur, Metrodorum Plutarchus etiam verbis τὸν τῆς ἀταραξίας — ἡγεμονίαις (τὸ βασιλεύειν — διάπτωσιν?) laudat, quae Metrodorus verbis fragm. XVII: οὐδ' ἐπὶ σοφίᾳ στεφάνων τυγχάνειν aperte opposuit.

XXI.

Stob. floril. 45, 26.

Μητρόδωρος·

Ἐν πόλει μήτε ὡς λέων ἀναστρέφου, μήτε ὡς κώνωψ· τὸ μὲν γὰρ ἐκπατεῖται, τὸ δὲ καιροφυλακεῖται.

Passiva verborum ἐκπατεῖν et καιροφυλακεῖν nusquam alibi invenio.

Epicurus teste Laertio X, 119 in primo de vitis libro sapientem exposuit οὐ πολιτεύσεσθαι, οὐδὲ τυραννεύσειν, hoc quidem consilio, ut prohiberet, ne quis beatitudinem assecuturus honoribus reipublicae capessendis imperiisque ambitione, vitae a perturbationibus liberae plane contraria, obtinendis sese dederet. Cf. Lucret. de nat. rer. V, 1129 seq.:

ut satius multo jam sit parere quietem,
quam regere imperio res velle et regna tenere.

Itaque in his Metrodori fragmentis eos irrideri legimus, qui δαψιλείᾳ τύφου excitati eadem atque Lycurgus et Solon contentione moveantur, quos omnium legumlatorum, qui ad suum ipsorum tantum arbitrium et nutum reipublicae gubernacula tractari velint, exempla homini libero ridicula proponit. Cujus ambitionis causam Lucretius V, 1120 seqq. verbis hisce adumbravit:

at claros homines voluerunt se atque potentes
ut fundamento stabili fortuna maneret
et placidam possent opulenti degere vitam."

Quibuscum conferre licet Plutarch. de tranq. 465 C (Stob. floril. 29, 79): ὅθεν οὐδὲ Ἐπίκουρος οἴεται δεῖν ἡσυχάζειν, ἀλλὰ τῇ φύσει χρῆσθαι πολιτευομένους καὶ πράσσοντας τὰ κοινὰ τοὺς φιλοτίμους καὶ φιλοδόξους ὡς μᾶλλον ὑπὸ ἀπραγμοσύνης ταράττεσθαι καὶ κακοῦσθαι πεφυκότας, ἂν ὧν ὀρέγονται μὴ τυγχάνωσιν. Eadem de causa Metrodorus Timocratem nimio honorum a civitate impetrandorum studio incensum ad naturam recte sequendam revocat. Neque tamen nos oportet Epicurum et Metrodorum ab omni patriae amore alienos fuisse existimemus, cum Brandisio consentientes [v]), Timocrati de amore patriae asperius appellato patrocinante. In judicium vocemus Diogenem Laertium X, 10: — καὶ πρὸς πατρίδα φιλίας ἄλεκτος ἡ διάθεσις· ὑπερβολῇ γὰρ ἐπιεικείας οὐδὲ πολιτείας ἥψατο. Testibus ipsis adversariis Epicurus in opprobrium vertit cognomen ἐχθρὸς τῆς Ἑλλάδος (vid. Diog. Laert. X, 8). Praeterea legimus apud Senecam de otio sap. cap. 30: „Epicurus ait: non accedet ad rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit".

Ἐξ ἀρχῆς igitur a rerum publicarum cura non avocatur sapiens, modo auream teneat mediocritatem — μήτε λέων, μήτε κώνωψ — non excedens modum in partes contrarias. Interdum enim fieri potest, ut sapiens ejusmodi perturbationes subeat, videlicet civitate in periculo versante. His igitur cognitis tibi non mirum videbitur, quod πολιτική a principibus certe Epicureorum ἱστορία καὶ παρατήρησις συνησκημένη vocatur, ut ait Philodemus de rhetor. in C. A. IV, 93 (Ox. II, 101), qui quidem ipse dissentit: — καὶ τὴν πολιτικὴν ἱστορίαν τινὰ καὶ παρατήρησιν συνησκημένην οὐχ ἡμεῖς, ἀλλὰ κἀκεῖνοι (caput hujus enunciati vid. scriptt. num. 14). Cf. C. A. V, 58 (rhet. Philodem.). Neque curae reipublicae modum videtur sapienti eundem imposuisse ac principes, de qua re

[v]) In libro, qui inscribitur „Geschichte der Entwicklungen der griech. Philos.", 2. Hälfte 1864, pag. 50.

vide Lucignan. ad Philodem. de gratia col. 10 in C. P. X. Cf. Gassend. animadvv. in Diog. Laert. lib. X pag. 1642 seqq. sicut Angel. Scotti praef. ad Philodem. rhetor. in C. P. IV. Ceterum apud Ciceronem, Plutarchum, alios de Epicureorum contemptu reipublicae loci exstant permulti.

Sequuntur varia fragmenta ad vitae moderationem spectantia.

XXII.

Sen. epist. LXXXI, 10.

Metrodorus certe ait, solum sapientem referre gratiam scire.

His verbis succedunt: „Deinde idem admiratur, cum dicimus: solus sapiens scit amare, solus sapiens amicus est". — „Deinde idem admiratur, quod dicimus, fidem nisi in sapiente non esse, tanquam non ipse idem dicat".

Cf. Epicur. apud Diog. Laert. X, 118: μόνον τε χάριν ἕξειν τὸν σοφὸν φίλοις καὶ παροῦσι καὶ ἀποῦσιν ὁμοίως. Ab Epicuro grata bonorum praeteritorum recordatio maxime urgebatur (Cic. de finib. I, 17, 57) idemque teste Seneca de benef. III, 4 assidue querebatur, „quod adversus praeterita simus ingrati, quod, quaecunque percepimus bona, non (in memoriam) reducamus, nec inter voluptates numeremus: cum certior nulla sit voluptas, quam quae jam eripi non potest". Cf. Lucignan. praef. ad Philodem. de gratia compluribus locis, quem librum potius restitutor confecisse videtur, quam Philodemus.

XXIII.

Philodem. de ira tab. 68 in C. A. I (Ox. I pag. 81). Ed. Gomperz. Lips. 1864. pag. 148 seq.[x]) (= col. 45).

Καὶ γὰρ ὁ Ἐπίκουρος ἐν ταῖς Ἀναφωνήσεσιν διασαφεῖ (τό,)τε θυμωθήσεσθαι καὶ τὸ μετρίως· καὶ ὁ Μητρόδορος, εἰ

---

[x]) Cf. Buecheler. in „Zeitschrift für d. öst. Gymnasien" XV pag. 591. Spengel. in „Philologo" 1863 Suppl. 2, pag. 520.

κυ(ρ)ίως λέγει· ΠΝΕΥΜΑΣΟφοῦ θυμός, συνεμφα(ίνει) τὸ λίαν βραχέως·

Sic locum puto resarciendum esse, supplementis Spengelii, Gomperzii, Buecheleri conjunctis. Vocem ΠΝΕΥΜΑ ipse restitui conjectura, opinor, haud improbabili. Recepi Spengelii ΤΟ post διασαφεῖ, Gomperzii ΚΥΡΙΩΣ pro ΚΥΙΩΣ exempli Oxoniensis, συνεμφαΙΝΕΙ τὸ optime restitutum a Buechelero, verborum sententia acutius perspecta. Ipsa vero Metrodori verba omnes relinquunt lacuna hiantia Τ....... ΦΟΥΘΥΜΟΣ. Voluit demonstrare Philodemus, sicut ipse, etiam principes scholae de irae brevitate sapientis judicasse. Epicuri dictum quamvis ei esset in promptu, maluit tamen ipsa Metrodori verba laudare κυρίως ac significantius loquentis et imagine una cum mediocritate irae brevitatem depingentis. Πνεῦμα idem, quod apud nos „Hauch, Windhauch". Nostrae conjecturae neque inter litteras reliquas prima Τ obstat, neque lacuna sex fere litteras capiens praeter ΣΟ ante φοῦ restitutum. Vocem ταχύς jam reprobavit Buechelerus, ne tautologia non ferenda cum τὸ λίαν βραχέως evadat.

Quo magis intelligatur fragmentum, qua ratione Philodemi oratio ad Metrodorum deflexerit, quam brevissime referam, praesertim, cum usque ad has philosophi Gadarensis columnas repertas, quid Epicurei de ira senserint, nobis fere ignotum esset. Sapientem quidem ὀργῇ posse obnoxium esse, haud negat Philodemus, modo sit ὀργὴ φυσική, quippe quae alterius infesto nocendi conatu vel facto provocata animi affectio perinde oriatur atque beneficio gratia (col. 46). Quod si ὀργῇ ejusmodi causa non praecesserit, ista rejiciatur oportet sapienti parum conveniens, ὅτι ἀπὸ διαθέσεως γίνεται παμπονήρου (37. 38). Licet autem ὀργή actionem sapienti infeste illatam extemplo subsequatur eademque interdum acerrima existat, tamen non est sapientis, ultionem petere tanquam rem suavissimam (ἐπιθυμεῖν τῆς κολάσεως καθάπερ ἀπολαυστοῦ τινὸς ibid.). Immo ira non diu perseverat, οὐ μέντοι γε ταραχὴν ἀναδέχεται μεγάλην (42 init.), τηλικοῦτο δὲ μόνον ὅσον

βέβλαπται, πάντως μὲν ὀργισθήσεται, βραχέως δὲ διὰ τὸ μηδέποτε μεγάλης ἔμφασιν βλάβης λαμβάνειν, οὐδὲν εἶναι παρὰ μέγα τῶν ἔξωθεν ἡγούμενος (47 fin.). Verum tamen non est, qui eam effugere queat (40); quin quisque habeatur vir pravus, qui ut ἀδιάφορον πάθος objurgationem vel detrimentum excipiat (38). Tum exponendi finem facturus laudat Epicurum et Metrodorum principes et eum, quem hi dixerint θυμόν, ab illa, quam ipse dixerit, ὀργῇ neutiquam diversum esse demonstrat (43 seqq.).

Duplicem scilicet in voce θυμός vim inesse, alteram ἥπου ἐπὶ τὸ κοινότατον εἰώθαμεν φέρειν ταύτην τὴν προσηγορίαν, alteram ᾗ ἐπὶ τὸ σύντονον κατὰ τὸ μέγεθος ἢ ἐπὶ τὴν ὡς πρὸς ἀπολαυστὸν ὁρμήν, prioremque illius nominis significationem usurpasse principes. Denique Philodemus adversarios quosdam differentiam prorsus negligentes reprehendit (45). Cf. Buecheler. l. c. Aristot. Eth. Nicom. IV, 5. Cic. Academ. II, 44. de off. I, 26 cum nott. Muret. Tuscull. Dispp. IV, 19 seqq. ibique interprett. Sen. de ira cett.

XXIV.

Plutarch. praec. conjug. 142 A.

Οἶμαι δὴ καὶ τῇ σώφρονι μάλιστα δεῖν πρὸς τὸν ἄνδρα χαρίτων, ἵν', ὡς ἔλεγε Μητρόδωρος, ἡδέως συνοικῇ καὶ μὴ ὀργιζομένη, ὅτι σωφρονεῖ.

Wyttenbachio verbum ὀργιζομένη non satis aptum videtur. Quod exhibent Cod. A. (Paris. 1671), E (Paris. 1672) et T (urnebi) ὀρκιζομένη, a correctore quodam profectum esse puto, cui illud corruptum visum est.

Recte Wyttenb. laudat Plutarch. Amator. 735 C, ubi eadem exstat Metrodori sententia: αἱ δὲ σώφρονες οὐδὲ αὐστηρὸν καὶ κατεγρυπόμενον ἐπαχθὲς καὶ δυσκαρτέρητον ἔχουσι καὶ Ποινὰς καλοῦσιν αὐτὰς καὶ τοῖς ἀνδράσιν ὀργιζομένας, ὅτι σωφρονοῦσιν.

XXV.

Stob. floril. 62, 44.

Μητρόδωρος·

Δοῦλος ἀναγκαῖον μὲν κτῆμα, οὐχ ἡδὺ δέ.

De servitute quid Epicurei existimaverint, hoc fragmento illustratur. Cf. Epicur. ap. Diog. Laert. X, 118: οὔτε κολάσειν οἰκέτας, ἐλεῆσαι μέντοι καὶ συγγνώμην τινὶ ἕξειν τῶν σπουδαίων. Epicurum cum servis amice vixisse Diogenes tradit X, 10: πρός τε τοὺς οἰκέτας ἡμερότης, ὡς δῆλον κἀκ τῶν διαθηκῶν αὐτοῦ. Cf. X, 21 fin. Praeterea Philodemus de ira col. 23 seq. dominos dicit servos male tractantes magnum udituros esse periculum. Cf. ejusd. librum de vitt. virtutt. oppos. in C. P. III coll. 9 et 10. Verba ἀναγκαῖον κτῆμα Metrodorum declarant de jure aut injuria servitutis non dissensisse a Platone et Aristotele, qui servum vocat ἔμψυχον ὄργανον, κτῆμά τι ἔμψυχον. Eth. Nicom. 1161 b; de rep. 1252 b seq. Servus est malum necessarium, οὐχ ἡδὺ δέ, nam miseruit eorum philosophos minus aspere sentientes. Cf. Philemon. fragmm. pag. 364. 410 Meinek., Becker. Charikl. Excurs. VII, ubi, quid veteres de servitute judicaverint, fuse explicatur.

XXVI.

Plutarch. de tranq. an. 476 C.

Ὁ γοῦν εἰπών· προκατείλημμαί σε, ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρείσδυσιν.

Convertit haec in Latinum Cicero Tuscull. Dispp. V, 9, 27, additis tamen nonnullis, quae Graece non servata sunt: „Quod idem melioribus verbis Metrodorus: Occupavi te, inquit, fortuna, atque cepi omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aspirare non posses“.

Nonius s. v. „occupare“ corrigendus, utpote scribens „occupavit“, quod verbis προκατείλημμαί σε evertitur. Moseri conjectura „possis“, pro „posses“ inanis.

XXVII.

Maxim. Confess. eclog. in opp. ed. Combef. II pag. 638. Ed. C. Gesner. loc. commun. Serm. 72 (Aurel. Allobr. 1609).

Μητροδώρου·

Μὴ ζήτει γίνεσθαι τὰ γινόμενα ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε ὡς ἂν τὰ γινόμενα γίνηται.

Apte conveniunt haec fragmenta cum Epicuri opinionibus, qui, hominem a dira necessitate vindicaturus „principium quoddam“ constituit, „quod fati foedera rumpat“; liberam quandam voluntatem, qua ille externis materiae viribus obstare posset regeretque motus ex „materiai copia“ in se defluentes, quam sententiam Lucretius de rer. nat. II, 216 seqq. 257 seqq. fusius explicat, maxime illam quidem a Democriti placito discrepantem.

Tametsi homo sui ipsius modo quopiam habet facultatem (τὸ δὲ παρ' ἡμῖν ἀδέσποτον Epicur. ap. Diog. Laert. X, 133), ut libera quadam voluntate agere possit, tamen „rerum summam“ non „potest commutare ulla vis“ (vid. Lucret. I. c. v. 303). Cf. Epicur. ap. Diogenem X, 133: διὰ τὸ τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνυπεύθυνον εἶναι et apud Schol. ad Aeschyl. Prom. 624 (ed. Dindorf.): ἃ δεῖ γενέσθαι, τοῦτο καὶ γενήσεται. Idcirco Metrodorus sapientem negat id contendere, ut ex sua fiant voluntate, quae ex natura rerum modo quopiam per se fiant, neque aliter fieri queant; immo illum docet semper id acturum, ut quaecunque tempora afferant, cum iis consentiat voluntas, ne spe vana decipiatur; res enim ex nostra voluntate non pendentes secundum illam non futuras esse, nisi forte fortuna (τὴν δὲ τύχην ἄστατον ὁρᾷν Epicur. ap. Diog. Laert. l. c.), ex vanis vero incertae fortunae exspectationibus animi perturbationes gigni sapienti quam maxime evitandas. Quapropter magister sapientes ait ἀφόβους πρὸς τὴν τύχην (Diog. X, 131) τῇ τύχῃ ἀντιτάξεσθαι (ibid. 120), κρεῖττον enim εἶναι εὐλογίστως ἀτυχεῖν, ἢ ἀλογίστως εὐτυχεῖν (ibid. 135).

Unde etiam, qua ratione Metrodorus se clandestinos fortunae ad se introitus praeoccupasse edixerit, satis intelliges.

XXVIII.

Sen. epist. XCVIII, 9.

Egregie itaque videtur mihi Metrodorus dixisse in ea epistula, qua sororem amisso optimae indolis filio alloquitur: Mortale est omne mortalium bonum.

V. L.: omnium. Quod cum sententiam reddat nimis obtusam, equidem praetuli cum Fickerto „omne“. Quod addit Erasmi editio Basil. 1515: „contingit immortale immortalibus“, glossema.

Muretus ad h. l. Metrodorum dictum suum ex Euripide ait hausisse: θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος. Indicat hisce verbis Euripidis fragmentum a Stobaeo in floril. 105, 8 servatum (Matth. Eur. fragmm. inc. trag. 68. Both. pag. 314, 42). Verba sunt:

vers. 1. οὐ χρή ποτ' ὀρθαῖς ἐν τύχαις βεβηκότα —
vers. 5 seqq. θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος· οἱ δ' ὑπέρφρονες
καὶ τῷ παρόντι τοὐπιὸν πιστούμενοι
ἔλεγχον ἔλαβον τὴν τύχην ἐν τῷ παθεῖν.

Sed ut taceam de verborum differentia („omne“ deest et ὄλβος i. q. bonum), ejusmodi de rerum fragilitate dicta apud veteres permulta invenimus. Cf. e. g. fragmm. reliqua ap. Stob. l. c.

XXIX.

Stob. floril. 16, 20.

Μητρόδωρος·

Ἑτοιμάζονταί τινες διὰ βίου τὰ πρὸς τὸν βίον ὡς βιωσόμενοι μετὰ τὸ λεγόμενον ζῆν, οὐ συνορῶντες ὡς πᾶσιν ἡμῖν θανάσιμον ἐγκέχυται τὸ τῆς γενέσεως φάρμακον.

Ante βιωσόμενοι v. ὡς addit Hirschig., οἷον Jacobs. Anthol. XII pag. 233.

Compares Epicur. ap. Stob. l. c. 28 (Apostol. Cent. V, 30 C. Arsen. XIV, 67): γεγόναμεν ἅπαξ, δὶς οὐκ ἔστι γενέσθαι·

δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτ' εἶναι· cὺ δὲ τῆc αὔριον οὐκ ὢν κύριοc ἀναβάλλῃ τὸν καιρόν· ὁ δὲ πάντων βίοc μελληcμῷ παραπόλλυται καὶ διὰ τοῦτο ἕκαcτοc ἡμῶν ἀcχολούμενοc ἀποθνήcκει. Adde Diog. Laert. X, 65: λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίcματοc ἡ ψυχὴ διαcπείρεται. Lucret. de rer. nat. III, 952 seq. Philodem. de ira col. 43: καὶ φύcιν θανάτου — ἧc — πᾶc ὅλωc ἄνθρωποc μετέcχηκεν. Cf. Zeller. Philos. Graec. III, 1 pag. 254 ed. II. Buecheler. Conjectan. critic. in ephemerid. q. inscrib. Rheinisches Museum, 1860. N. F. XV pag. 291.

Locus hic est fragmenti de morte subjungendi, quod Stobaeus floril. 118, 33 Metrodoro ascripsit: πρὸc μὲν τὰ ἄλλα δυνατὸν ἀcφάλειαν πορίcαcθαι, χάριν δὲ θανάτου πάντεc ἄνθρωποι πόλιν ἀτείχιcτον οἰκοῦμεν. Quoniam autem Maximus Confessor eclog. II, 627 idem fragmentum Epicuro tribuit, de auctore dubii haeremus. Neque Philodemus huic quaestioni lucem affert, licet illud dictum orationi inseruerit de morte col. 19: (πά)ντεc γ(άρ)ατί[?](χιc)τον (πόλιν)- πρὸc θά(ν)ατον οἰκ(ο)ῦμεν.

C. Fragmenta variis argumentis inter se disjuncta.

XXX.

Sen. epist. LXXIX, 14.

Hoc Metrodorus quoque in quadam epistula confitetur, se et Epicurum non satis enituisse, sed post se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros apud eos, qui voluissent per eadem ire vestigia.

Optt. codd. praestant „enituisse“, alii emicuisse vel eminuisse. Lipsius pro „paratum“ proponit „pacatum“, i. e. extra calumnias et detrectationes.

Antecedunt huic loco verba Epicuri a Seneca ita servata: „Multis itaque jam annis Metrodoro suo superstes in quadam epistula, cum amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione cecinisset, hoc novissime adjecit: Nihil sibi et Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobilis Graecia non ignotos solum habuisset, sed paene inauditos“.

Epicurus et Metrodorus quid sibi hic voluerint, cave secus dijudices Bruckero assentiens, illos principes scholae suae principia denotasse (pag. 1234). Immo cum Epicureos aequalibus philosophis prorsus fuisse ignotos cogitari nequeat, quandoquidem hos ab illis vehementer vexatos esse, sat est exploratum testimoniisque confirmatum, aliam ignobilitatem intelligi non licet, nisi popularem (Epicurus igitur εἰρωνικῶς ait: illa nobilis Graecia). At Epicurus, nobilitatem spernens, noluit pro populo concionari et quae sentiret, perscribere maluit (cf. Diog. Laert. X, 119 seq. [y]), namque praecepit illud λάθε βιώσας. Vid. Plutarch. de lat. viv. [z]). Huc accedit, quod Epicuro vivo populus rebus publicis valde turbulentis ad ipsa tempora diligentius observanda adigebatur. Nec queritur Metrodorus de ignobilitate, sed potius de eo, quod non ita multi Epicuri rationem vivendi revera gloriandam secuti sint, rebus publicis distracti; idemque Epicuri cognitionem temporibus ad philosophiam magis propensis accuratiorem fore praedicit.

XXXI.

Plutarch. non posse suav. viv. 1094 E.

Περὶ δὲ τῆς ἱστορίας, ἵνα τὴν ἄλλην ἀνηκοΐαν ἐάσω, παραθήσομαι μόνα τὰ Μητροδώρου, γράφοντος ἐν τοῖς περὶ ποιημάτων· Ὅθεν μηδὲ εἰδέναι φάσκων, μετὰ ποτέρων ἦν ὁ Ἕκτωρ, ἢ τοὺς πρώτους στίχους τῆς Ὁμήρου ποιήσεως, ἢ πάλιν τὰ ἐν μέσῳ, μὴ ταρβήσῃς.

Quae ad h. l. annotabo, ea simul ad scriptt. num. 10 relata volo. Ab Epicuro principe, qui solum ajebat sapientem de musica et poësi recte judicare posse (Diog. Laert. X, 121), de ipsa poesi inter discipulos haec opinio divulgābatur verbis quam paucissimis expressa (Diog. Laert. l. c.): ποιήματά

---

y) Epicur. ap. Sen. epist. XXIX: nunquam volui populo placere, nam quae ego scio, non probat populus; quae probat populus, ego nescio.

z) Epicur. ap. Diog. Laert. X, 120 in.: εὐδοξίας ἐπὶ τοσοῦτον προνοήσεσθαι (sapientem), ἐφ' ὅσον μὴ καταφρονήσεσθαι.

τ' ἐνεργεῖν οὐκ ἂν ποιῆcαι, quae cum universae Epicuri philosophiae fundamento cohaeret. His enim verbis magister poesim commendat maximi aestimandam, tum quod ea vel vitae vel naturae rationes dilucide doceantur unicuique ad vitam bene instituendam animumque recte erudiendum utiles; tum quod eadem, quamvis homines et res fingat, tamen fictis exempla proferat nobis cum commodo imitanda. Hoc est ἐνεργεῖν poemata, quod Lucretius I, 26 latine reddidit „pangere versus". Contemnit igitur Epicurus ποιητήν in meris fictionibus, ut ipse putat, inanibus vanisque versantem, etiamsi ingenio praeclarissimo et imaginatione splendidissima praeditus sit. Postponit ergo artem poeticam, anteponit poesim jucundae utilitatis effectricem, atque eum ipsum μυριάδαc versuum in laudem Metrodori composuisse Plutarchus tradit de lat. viv. 3. Excellentissimo autem exemplo Epicuri sententiam tota magistri philosophia carmine de rerum natura descripta Lucretius illustravit, eandem professus de fine poesis opinionem [α]).

Contra Philodemus in alia omnia discessit, quippe in fragmentis περὶ ποιημάτων (in C. A. II. Ox. II) in ipsa arte praestantissimam poesis dignitatem positam esse edisseruit ipsamque poetae imaginationem, quam nos dicimus phantasiam, prae ceteris laude eximia ornavit. Idem praeterea ob argumentorum gravitatem litterarum studia versibus circumscribi posse negat. Omnium autem Epicureorum irrisionibus exploduntur poetae argumenta e fabulis et historia fabulari repetentes. Ipse Epicurus teste Heraclit. Allegor. Hom. cap. 4 (ed. Mehler. pag. 6. Matrang. Anecd. 1 pag. 298) ἅπαcαν ὁμοῦ ποιητικὴν ὥcπερ ὀλέθρων μύθων δέλεαρ ἀφοcιούμενοc fuit. Fabulas tamen non videtur rejecisse nisi scelerosa atque immani materia animis metum et terrorem injicientes, quales designat Polystratus περὶ ἀλόγου καταφρονήcεωc col. 6 (C. P. IV), quocum conferas Lucretium „veteres Grajum poetas" casti-

α) Cf. I, 25 seq. I, 915 seq., laudem Ennii I, 117 seq., Homeri V, 1037, nitidos versus V, 1379 seqq., carmina in deliciis vitae habita ibid. 1450.